

NOTE TO USERS


This reproduction is the best copy available.

UMI[®]

L.J.C. et M.I.

"Signatum est super nos
lumen vultus tui, Domine."
(Ps. 4, 7)

Philosophica Dissertatio
DE INTELLECTU AGENTE
in Doctoratum consequendum,
apud
Ottawiensem Universitatem.



Conrardus Leblanc, O.M.I.

Ottawae, in Die Pentecostes,
Maji 15, A.D. MCMXXXII.

UMI Number: DC53411

INFORMATION TO USERS

The quality of this reproduction is dependent upon the quality of the copy submitted. Broken or indistinct print, colored or poor quality illustrations and photographs, print bleed-through, substandard margins, and improper alignment can adversely affect reproduction.

In the unlikely event that the author did not send a complete manuscript and there are missing pages, these will be noted. Also, if unauthorized copyright material had to be removed, a note will indicate the deletion.



UMI Microform DC53411
Copyright 2011 by ProQuest LLC
All rights reserved. This microform edition is protected against
unauthorized copying under Title 17, United States Code.

ProQuest LLC
789 East Eisenhower Parkway
P.O. Box 1346
Ann Arbor, MI 48106-1346

JESU

LUCI VERAЕ

ET

CANDORI LUCIS AETERNAE

HOC OPUS

PER MARIAM OBLATUM

CONSPECTUS GENERALIS

et

Index Rerum

-!-!-!-!-!-!-!-!-!-

INTRODUCTIO

1- <u>Prologus</u>	p.1
2- <u>De cognitione</u>	p.3
I- Cognitione IN GENERE	p.3
Ad cognitionem requiritur immaterialitas	
unio immaterialis	p.3
facultas immaterialis	p.5
objectum immaterialis	p.6
Unde necessitas speciei impressae	p.7
Necessitas speciei expressae	p.9
Deducitur natura formalis cognitionis	p.10
II-Cognitio IN PARTICULARI	p.11
A. Cognitione sensibilis	p.11
1. Sensatio externa	p.12
2. Sensatio interna	p.14
B. Cognitione intellectualis	p.16
3- <u>Divisio</u>	p.19
4- <u>Propositio</u>	p.19

-O-O-O-O-O-O-O-O-O-

PRIMA PARS THESEOS
AN SIT INTELLECTUS AGENS

I- Status quaestionis

A- Explicatio terminorum

- a- Intellectus agens et intellectus possibilis p.20
- b- Phantasma p.22
- c- In praesenti rerum conditione p.23
- d- Facere quidditatem actu intelligibilem seu
producere speciem (impressam) p.24

B- Sententiae

- 1- Sententia negans p.25
- a- Sensualismus p.26
- b- Intellectualismus-exaggeratus

- 2- Sententia affirmans: scolasticismus p.27

C- Punctum quaestionis. p.28

Intellectus agentis existentia demonstranda est

non ex solo testimonio conscientiae p.28

sed ex ejus necessitate p.29

in origine idearum explicanda p.30

i.e. in causa efficiente speciei impressae

determinanda p.30

II-Probatur

- 1- Primum argumentum (directe) p.32

Ad speciem producendam requiritur intellectus agens,
quia objectum proprium intellectus nostri non sufficit,
cum sit quidditas universalis rei materialis per phan-

-III-

tasiam repraesentatae	p.33-37
2- Idem argumentum alio modo propositum	p. p.43
3- Secundum argumentum (indirecte)	p.48
Causa adaequata specierum	
I)- non est aliquid EXTRA ANIMAM	
A)- non est res sensibilis	p.49
B)- neque inter entia immaterialia	
1)- solum intelligibile	p.49
2)- intellectus aliquis superior	p.50
II)-inter causas INTRA ANIMAM	
A)- non est facultas organica	p.53
B)- inter facultates anorganicas	
1)- non est intellectus possibilis	p.53
2)- ergo solum restat facultas activa	
a)- vel non concurrente sensu	
et hoc est rejiciendum	p.54
b)- vel concurrente sensu	
et hoc est rejiciendum quia	
1°est cum factibus experientiae conforme	p.54
2°est ad naturam hominis connaturale	p.55
3°objectivitatem cognitionis	
intellectualis nostrae salvat	p.56
III- <u>Deducitur corollarium</u> : ergo intellectus agens et intel-	
lectus possibilis sunt facultates realiter inter se	
distinctae.	p.57

O-O-O-O-O-O-O-O-O

SECUNDA PARS THESEOS
QUOMODO OPERETUR INTELLECTUS AGENS

I- Status quaestionis

- 1- Introductio et punctum quaestionis p.63
- 2- Causa principalis et causa instrumentalis p.63

I)- In genere

A)- De causa:quid, quotuplex, quale p.66

B)- De causa efficienti p.66

quid sit: in actu primo p.66

in actu secundo p.67

quotuplex p.68

quale: respectu ejus effectus p.69

II)- In specie:i.e. de ipsa CAUSA INSTRUMENTALI p.70

PRAENOTA:

1° Notiones generales de causis
principalis et instrumentalis p.70

2° Partitio causae instrumentalis p.71

AD REM:

1° De constitutivo formali causae
instrumentalis p.72

A- In actu primo
(seu de virtute instrumentaria) p.72

1- Quomodo constituitur instrumentum in actu
primo: difficultas, solutio thomistica p.72

2- Virtus instrumentaria ex parte causae prin-
cipalis considerata: motio...physica p.73

3- Ex parte causae instrumentalis:
praemotio ...elevativa n.74

- 4- Praemotio physica elevativa est
 ipsum formale constitutivum p.75
- 5- Ergo virtus instrumentaria est ens viale, p.76
 ens incompletum p.77
- 6- Ergo virtus instrumentaria spiritualis reci-
 pi potest in instrumento corporeo p.78
- B- In actu secundo
 (seu de actione instrumentaria) p.79
- 2° De conditione requisita causae instrumen-
 talis (seu de virtute et actione propria) p.80
- 3° De effectu causae instrumentalis p.83

3- Opiniones

Nota: explicantur voces "illuminatio","abstractio" p.85

- A- Sententia Suarezii p.86
- B- Sententia Cajetani p.87
- C- Sententia Ferrariensis p.90
- D- Sententia communis p.92

II- Probatur

I-Phantasma est CAUSA EFFICIENS p.95

- A- Negative i.e. confutando Suarezium p.95
- B- Positive p.96

II-Phantasma est causa efficiens vere INSTRUMENTALIS p.97

A-Negative i.e. phantasma non est causa coordinata p.97

B-Positive i.e. phantasma implet omnes conditiones
 verae causae instrumentalis p.99

1° ex parte constitutivi formalis p.99

a- négative

(1)-rejicitur sententia Cajetani p.99

(2)-rejicitur sententia Ferrariensis p.101

b- positive

b-positive: nulla difficultas

1-ex parte intellectus agentis: quomodo reducitur in actu (secundo) p.105

2-ex parte phantasmatis: quomodo virtus instrumentaria spiritualis recipitur in phantasmate corporeo p.106

2°ex parte conditionis requisitae p.110

Phantasma modificat tantum actionem principalis agentis p.111

Dici potest instrumentum "sui generis" p.113

3°ex parte effectus producti p.114

Duplex formalitas in specie impressa p.115

III-Deducitur corollarium.

Unicum est munus intellectus agentis ad quod reducuntur omnia alia quae solent ei attribui p.116

ELENCHUS BIBLIOGRAPHICUS.

S. THOMAS.:

- 1)- In Aristotelis III de Anima, c.5, lect.10.
- 2)- In Summa Theol.: Ia, q.45; q.54,a.4; q.69, a.3,4,5;
q.84,a.6; q.85, a.1; q.88,a.1.
IIIa, q.61-65.
- 3)- In II C.Gent. - C. 76,77,78.
- 4)- In Quaest. disp.:
De Verit.- q.9,a.1 ; q.10, a.6; q.27,.
De Anima - a.4 et 5.
De Spirit. Creat. - a.9 et 10.
- 5)- In II Sent. dist.17, q.2 art.1.

CAJETANUS ; in locis Summae , speciatim, q.79, a.3,4,5; q.85, a.1.

FERRARIENSIS : in locis C. Gent.

JOANNES A STO THOMA; Curans Phil:- Phil.Nat. IIIa,q.10, a.1 et 2 - et pas-
sim.

SUAREZ:- De Anima Lib. IV, ,c.2 et 8.

PEGUES:- Commentaire français littéral...in locis Summae.

MATTIUSSI:- Commentaria in XXIV Thesisibus.

J. MARITAIN:- "Réflexions sur l'Intelligence" - ch.2.

J. WEBERT O.P.:- 1)- L'Ame humaine. - 2)- La pensée humaine. -Cf. Somme
Théologique - Editions de la Revue des Jeunes.

R: LATREMOUILLE:^{om} "De Causalitate instrumentali".

REVUE DE PHILOSOPHIE: T. 4,5,6,7,8.

MANUALIA :- Gredt; Remer; Hugon; Collin.

INTRODUCTIOPROLOGUS

Magnus in philosophia est locus quem tenet tractatus de homine. Et cum prae omnibus homo est homo per suum intellectum, non est mirum si super totam de homine scientiam praevalent problemata quae spectant intellectualem operationem. Inter ea tandem, non parvi momenti est quaestio de origine cognitionis. Porro, sic existimaverunt philosophi omnium temporum: unusquisque ex eis enim, a recentissimis usque ad veteres Graecos, perquisivit unde veniant ideae nostrae. Tam universalis inquisitio reliquit nobis scripta tanti molis et cum tanta varietate opinionum, contradictoriarum aliquoties, et saepe satis tenebrosium, ut sit nunc difficillime eas colligere in aliquibus speciebus bene delimitatis. Possumus tamen omnes illas distribuere in tribus praecipuis classibus. Prima comprehenderet illos philosophos qui considerantes tantum spiritualitatem subjecti intelligentis, nolunt admittere in cognitione elementum sensilem, ac si ideae nostrae non desumerentur ex objectis materialibus realiter existentibus in externo mundo. In secunda, plane opposita, jungerentur omnes hi philosophi qui cum negant spiritualitatem animae, pariter rejiciant in

cognitione hominis elementum supra-sensilem et conantur explicare formationem idearum per solas leges ordinis sensibilis et materialis, ac si ideae nostrae non essent aliquid universale, et supra materiam existens i.e. spirituale.

Media inter utramque, stat scola peripatetico-scholastica quae cum non vult negare duos factos certos et irreductibiles, nempe: elementum sensile et elementum spirituale in cognitione humana, mavult admittere evidentiam et quaerere pontum quo fiat transitio ab uno in aliud, ac proinde ponit in anima hominis intellectum agentem, facultatem inorganicam, activam, cujus munus sit excudere ex sensibilibus conditionibus objectum intelligibile ut cum eo possit uniri intellectus possibilis ad cognitionem formalem eliciendam.

Sic per doctrinam intellectus agentis, servatur evidentia duorum factorum quorum negatio ducit ad absurda et omnis scientiae eversoria systemata vel idealismi (largo sensu) vel sensualismi, ac ideo pariter apparet supremum momentum et pondus istius doctrinae ad demonstrandam naturam, et veritatem, et objectivitatem cognitionis nostrae.

Notandum est tamen quod non intenditur hic amplectare totam doctrinam scolasticam de cognitione humana nequidem de origine idearum nostrarum, sed tantum agere de uno puncto istius doctrinae nempe de intellectu agente: an sit, quid sit, et quomodo operetur ad speciem imprimendam in intellectu possibili. Ubique servabitur genuina doctrina thomistica quam Sancta Mater Ecclesia, ore Summi Pontificis Pii undecimi in recentissima constitutione "Deus scientiarum Dominus" iterum commendavit et iussit sequi et docere fideliter ac unanimiter.

DE COGNITIONE

Priusquam ad thesim acceditur, oportet quaedam dicere tum de cognitione absolute considerata, tum de utroque specie cognitionis humanae nempe sensitivae et intellectualis. Nam impossibile est loquere de intellectu agente, praesertim de ejus necessitate, nisi praesciatur quid sit cognitio, et quae ad eam sint requisita, et multa etiam de sensatione et intellectione. Praeterea nonnulla quae ad thesim formaliter non pertinent, sed tamen praeadmittenda sunt ut valorem habeant argumenta posteriora ut v.g. necessitas species impressae, hic exponabuntur et longius fortasse quam esset alioquin necessarium.

I- Cognitio in genere.

Cognitio supponit immaterialitatem quamdam et apud objectum cognitum, et apud subjectum cognoscens et in unionem inter objectum et subjectum, quae est formalis actus cognoscitivus.

Primo, exponatur quod ad cognitionem requiritur unio immaterialis inter objectum et subjectum.

In primis notandum est quod hic immaterialitas non sumenda debet pro negatione materiae primae sed pro eminentia super materiam seu potentialitatem, scilicet ad exprimendum modum sese gerendi alium quam materiae vel potentiae quae cum recipit formam vel actum cum eo ita unitur ut oriatur quodam tertium. In unione autem de qua nunc agetur, potentia recipit actum vel formam quin efformatur aliquod tertium; est ergo elevata super ordinem usua-lem materiae vel potentiae. Quare dicitur cum P.Gredt immaterialitatem istam nuncupari debet "pro independentia maiore vel minore a potentialitate, a coarctatione per potentialitatem, quae convenire potest etiam rebus corporis." (Elem. Phil. 463,2)

Per cognitionem, conscientia testat, res cognita attingitur aliquomodo per subjectum cognoscens quin ab istam operationem, hoc vel illa mutatur in hoc quod sunt in se - "sans aucun mélange de leur être propre" dicit M.Maritain, et Cajetanus "salvis rationibus eorum" - Sed per quod res attingitur aut cognoscitur est forma ejus, scilicet notae vel determinationes ejus. Nam quod est indeterminatum seu in potentia non est per se cognoscibile sed per actum tantum ad quem ordinatur. Ut res igitur cognoscatur, actus vel forma ejus attingi debet a cognoscente. Sed cum illa attingitur absque mutatione sui ipsius, debemus dicere quod cognoscere est habere in se praeter suam formam, formam rei alterius ut alterius est.

In hoc demum distinguitur cognoscens a non cognoscente, quia hoc limitatur ad suam propriam formam, quum illud habet vel habere potest, praeter suam, formas aliarum rerum. Nam quando non-cognoscens recipit formam rei alterius, eam recipit subjective scilicet facit eam suam, sicut cera recipiendo formam vel figuram sigilli habet eam ut suam, fit cera figurata, Non-cognoscens igitur semper limitatur ad suam propriam formam, forma rei alterius in eo recepta eveniente sua. Cognoscens e contra potest recipere formam rei alterius, non ut suam sicut non-cognoscens, sed ut diversam et distinctam a se, ut est in sua alietate, in suo "aliud esse, ut sibi alienam et oppositam in uno verbo, objective.

Haec autem possessio alterius formae ut alterius est, non fit sicut unio materiae primae et formae substantialis ex qua oritur tertium, i.e. compositive, sed speciali modo. Habere in se aliam formam ut aliam est habere eam non compositiva, est recipere eam ita ut non constituatur aliquod tertium, sed ut recipiens fiat aut sit ipsa res. Ex visu enim et figura recepta in visu non oritur

tertium, nempe visus figuratus, sed visus fit ipsa figura sigilli ut sigilli est. Quod visus videt non est visus figuratus, sed figura sigilli ut sigilli est.

Sed hoc modus habendi formam, scilicet non-compositive non est nisi habere eam immaterialiter, sensu supra indicato. Nam cum ex hac unione non oritur tertium hoc non est recipere formam ad modum potentiae quae recipiendo formam actuatur per eam (ita enim constituitur tertium). Est ergo recipere formam modo elevato super ordinem potentialitatis, est sese unire cum forma cognita ita ut cognoscens (in habenda forma) non sit potentia actuata a forma sed fiat aut sit ipsa forma et haec est unio cognoscitiva, unio immaterialis, omnium maxima, major etiam illa unione inter materiam et formam.

Sic intelligitur quomodo immaterialitas dicitur requiri ad unionem inter cognoscens et cognitum. Nunc exponitur quomodo COGNOSCENS quodcumque sit debet seipsum esse IMMATERIALE. Et hoc non est difficile, nam evidens est quod cognoscens debet habere esse tale, quod possit recipere formam immaterialiter. Quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur. Quapropter ens cognoscitivum debet habere formam quae non sit ita determinata ad suum esse ut non possit immaterialiter recipere formam aliorum. Ens quod sic non coartatur ad suam formam sed etiam formam aliarum rerum objective habere potest est ens immaterialis, sive simpliciter sive secundum quid.

Itaque corpus certe non potest cognoscere -dum contrarie videtur opinari Lockius- quia forma ejus nullo modo est liberata a coartatione per materiam. Neque potest planta licet habeat

formam vitalem, quia activitas istius formae omnino absorbitur in materiam. Anima plantae enim non potest nisi sibi assimilare materiam ciborum.

Anima autem et homo ~~quod~~ et angelus quia formae eorum gaudent aliqua immaterialitate possunt cognoscere. Sed cum nulla substantia creata potest per seipsa operare, cognitio fit per sensum in animali, per sensum et intellectum in homine, (per intellectum in angelo). Quod facile constat, cum sit accidens solius animae spiritualis, independens ab organo corporea in esse et agere. Sed sensus ipse licet sit actus organi corporei, et consequenter subjective dependens a materia in esse et agere, est quodammodo immaterialis. Non enim subiacet omnibus conditionibus rerum materialium ut f.g. quantitatis et figurae, et colori, sed habet esse elevatum supra has conditiones mere materiales, esse immateriale secundum quid scilicet, non ita determinatum per varias qualitates corporeas, ut non possit recipere formam aliarum rerum sine his determinationibus. Hoc requiritur ut possit esse cognoscens, i.e. habere in se, praeter suam formam formas aliarum rerum immaterialiter.

Ideo ad unionem immaterialem peragendam inter objectum cognitum et subjectum cognoscens, semper requiratur facultas immaterialis (modo explicato): operatio immaterialis, facultas immaterialis, ac proinde: OBJECTUM IMMATERIALE. Ut cognoscatur enim, objectum uniri debet cum potentia cognoscitiva, ita ut remaneat tamen extra potentiam, sine ulla alteratione, nam cognoscere est habere formam rei alterius ut alterius est. Quare idem objectum dicitur habere duplicem esse: esse physicum (aut esse naturae),

ut est in rerum natura; esse cognitum (aut psychicum, aut intentionale), ut est in cognoscente.

Objectum, secundum suum esse psychicum, semper est immateriale (saltem secundum quid), quatenus recipitur immaterialiter in potentia cognoscitiva quae est semper, ut vidimus, saltem quodammodo immaterialis. Secundum autem suum esse physicum, objectum non est semper in actu immateriale (sensu explicato) sed in potentia immateriale seu virtualiter plerumque. In primo casu, potest igitur ut tale recipi in potentia cognoscitiva et sese cum ea unire. In altero autem casu, non potest in ea recipi et cum ea uniri (in actu primo), nisi secundum formam quamdam immaterialem quae vices sui gerat. Haec forma quae recipitur, vel imprimitur, loco objecti, in facultate cognoscitiva vocatur SPECIES IMPRESSA.

Objectum est per se immateriale ac proinde non est ei opus speciei impressae, primo, quando est tale quod per seipsum uniri possit potentiae cognoscitivae in ratione objecti, ut Deus in visione beata, sicut docent theologi; secundo, quando identificatur cum subjecto cognoscente quod tunc est ipsum objectum cognoscibile, sive per identitatem formalem, ut pro Deo, substantia ejus; et pro angelo et anima separata, intellectus eorum; sive per identitatem eminentialem causalem, ut pro Deo, omnia alia a se; sive per identitatem radicalem, ut pro angelo et anima separata, substantia eorum.

Omnia alia objecta, cum non sint per se immaterialia (semper sensu explicato), indigent specie impressa quae loco eorum informet potentiam cognoscitivam et eam determinet ad cognoscendum. Quod constat, quia omnia alia objecta, utpote creata et finita ad suum esse coartantur et cum potentia aliena non possunt communicari

ut dent ei suam formam. Hoc facilius apparet pro intellectu (humano) propter disproportionem inter suam spiritualitatem, et materialitatem rerum quarum forma seu quidditas constituit suam objectum formale. Sed patet etiam in cognitione sensitiva externa ubi objectum unitur potentiae per contactum immediatum cum organo. Nam ex eo quod objectum tangit organum, potentia nondum est intrinsece determinata (seu informata) sed requiritur praeterea ut objectum ita agens in organum, producat intra potentiam ab isto organo ~~depend~~ dependentem, determinationem seu ~~formam~~ formam quae non est nisi species impressa.

Propriam igitur speciei impressae est actuare, sicut quodam accidens potentiam cognoscitivam ut haec intendeat ad objectum cuius species vices gerit, et determinare potentiam sic actuatam ad ponendam suam operationem propriam, scilicet, objectum ipsum fieri, quin hoc vel illa emittat suum proprium esse ita ut efficiatur testium, sicut obtinet in unione physica vel materiali. Haec secunda informatio potentiae cognoscitivae a specie impressa, habetur, ut patet, immaterialiter, cognoscitive, in quantum cognoscens formaliter (in actu primo) constituitur aliud a se-unio immaterialis, cognitio (in actu primo); illa vero prima, materialiter, seu entitativa, in quantum per eam constituitur aliquod tertium, potentia actuata - unio entitativa, conditio praerequisita ad unionem cognoscitivam. Entitativa considerata, species igitur est accidens ad primam speciem qualitatis nempe ad habitum et dispositionem pertinens. Cognoscitive considerata non est nisi forma vicaria objecti qua formaliter determinatur ad objectum cognoscendum.

Si nunc quaeritur quid sit causa efficiens huius speciei, respondetur quod in sensibus externis efficitur ab ipso objecto

sensibili, quia adest proportio inter agens (objectum) et passum (sensus). In sensibus internis species efficitur ab iisdem objectis sensibilibus. mediante tamen sensatione externa.

In intellectu vero, objecta neque per seipsa, neque mediante sensatione, si sola sumitur, possunt imprimere speciem quia tunc deest proportio inter agens (singulare corporeum) et passum (spirituale) inter causam et effectum. Quamobrem requiritur aliud agens. Quid sit istud agens? Quomodo operetur ad speciem efformandam? longe disseretur infra est enim tota materia hujus theses. Sufficit in praesenti pro scopo nostro quod necessitas speciei impressae pro intellectu sit ab omnibus admissa.

Potentia cognoscitiva sic informat~~a~~ a specie impressa ~~est~~ ipsum objectum (in actu secunda), seu elicit suum actum cognitionis, cui necesse est habere terminum in quem cognoscendo feratur. Nam actus cognoscitivus qui jam est formaliter exercitus non esset perfecte exercitus si non terminaretur ad objectum jam formaliter cognitum. Terminus iste est ipsum objectum in sua esse physico, si hoc est realiter praesens, et proportionatum potentiae cognoscitivae.- Quod accidit in sensibus externus, qui objectum suum proprium, nempe qualitatem sensilem, in esse physico ejus, organo contiguo, attingunt. Quando autem objectum non est praesens, aut proportionatum potentiae, ut contingit in cognitione tum sensitiva (ut in phantasia) tum intellectiva, actus cognoscitivus non potest in eo terminare et tunc ipsa potentia, cognitione sua, terminum producit ut in eo contemplatur objectum cognitum. Nomen genericum istius termini est "SPECIES EXPRESSA". Vocatur vero phantasma si producitur a phantasia et verbum mentis si ab intellectu producitur. Cum species impressa sit medium "quo" res cognoscitur, species expressa est medium "in quo"; est enim signum "formale" rei

scilicet in quibus immediate cognoscitur id quod repraesentat quin ipsum cognoscatur nisi postea per reflexionem, sicut sidus videtur ope lentis quin haec notetur ab astrologo nisi per actualem attentionem ad eam.

Patet igitur speciei expressae productionem non esse finem cognitionis seu "id propter quod" cognitio habetur, sed esse potius propter cognitionem scilicet ut cognitio fit completa et perfecta per contemplationem objecti in ea (in specie expressa). Ex hoc itaque et ex eo quod aliquando terminum (species expressa) non producitur, ut supra dictum est, concluditur quod cognitio non est actio physica, (seu transiens) quae consistit essentialiter in productione alicujus termini, sed actio metaphysica seu immanens quae perficit ipsum agens in quo manet, et non ordinatur nisi per accidens ad terminum extra se producendum. Cum sit accidens bene disponens potentiam cognoscitivam actio cognoscitiva igitur ad primam speciem qualitatis pertinet et minime ad praedicamentum actionis.

Ex his omnibus quae usque ad nunc dicta sunt, accurate deduci potest NATURA COGNITIONIS. Non consistit ergo in informatione virtutis cognoscitiva a specie impressa- haec est tantum conditio praerequisita; neque in productione termini seu speciei expressae, nam hoc non est semper necessarium. Sed cognitio formaliter sumpta est actio (actio immanens) per quam cognoscens, a specie impressa plerumque determinatum, fit ipsum objectum cognitum, saepiuscule mediante specie expressa. Definiri potest simpliciter ut P.Gredt: "actio metaphysica qua immaterialiter habetur forma", intelligendo "immaterialiter" sicut ab initio explicatum fuit, scilicet, non ad modum potentiae (vel materiae) quae cum recipit formam, ita unitur cum eo ut oriatur tertium, sed modo eminentiori super potentialitatem

super potentialitatem, scilicet ita ut habendo formam, recipiens eam ipsa fit, vel etiam, ita ut recipiens et receptum idem fiunt quin cessent esse quod sunt in seipsis ut accidit in receptione materiali.

Talis est de cognitione in genere, explicatio aristotelico-thomistica, et quamvis non sit nisi interpretatio ejus quod est realiter, veritatem tam psychologiam quam metaphysicam servat, ac proinde abhibetur ut fundamentum totius demonstrationis thesios nostrae.

II - COGNITIO IN PARTICULARI

Nunc, specialiter, de cognitione tum sensitiva tum intellectiva, praeter ea quae de utraque dicta sunt utpote simul communia cum cognitione in genere, remanet breviter exponere et determinare quae propria sunt unicuique, praesertim facultates et objectum proprium.

A- Cognitio sensibilis

Cognoscere est habere formam immaterialiter. Unde objectum omnis cognitionis est forma. Forma vel existit in materia, vel non. Si non, est objectum formale intellectus animae separatae (et angeli) quae in materia nullo modo existit. Si existit in materia seu in corpore, forma potest cognosci vel "prout est abstracta" a materia, seu a corpore, vel "prout est in corpore". Primo habetur quidditas abstracta rei materialis quae -ut videbitur infra- est objectum formale intellectus istius facultatis amorganicae animae spiritualis corpori unitae. Secundo, habetur qualitas corporea, concreta, et haec est objectum formale sensuum ut facultatum dependentium ab organo in esse et agere. Ubi liquescit proportio quae debet esse inter objectum cognitum et subjectum cognoscens.

Si nunc advenimus ad subjectum quod in praesenti debemus tradere, nempe ad facultates et objectum sensationis, illa proportio apparet in hoc quod quemadmodum sensus sunt potentiae organicae inhaerentes non solum animae, sed composito ex anima et corpore, eodem modo, objectum a sensibus apprehensum est forma corporis non prout abstracta a corpore, sed prout est in corpore seu materia, scilicet singulare corporéum concretum notis individuantibus, vel corpus secundum suam accidentalem apparentiam.

Sensus dividuntur in externis et internis quatenus hoc objectum attingunt immediate, scilicet non mediantibus aliis sensibus, vel mediate, h.e. mediante ipsa sensatione aliorum sensuum aut aliquo eam consequente.

1-Sensatio externa.

Sensus externi sunt quinque: visus, auditus, olfactus, gustus et tactus qui complectitur sensum resistentiae et temperaturae. Quisque ex iis habet, principaliter in peripheria corporis, suum organum proprium specialiter dispositum ad attingendum suum objectum formale seu sensibile proprium i.e. color, sonus, odor, sapor, resistentia, calor et frigus respective. Mediante suo sensibili proprio, nonnulli sensu attingere possunt idem sensibile quod tunc vocatur "commune". Talia sunt, quantitas (magnitudo et numerus) et ea quae quantitatem sequuntur: motus localis, quies, figura, situs.

Ista sensibilia propria extra organum sensus sunt, et non cognoscuntur nisi mediante physico influxu quem ipsi produciunt intra organum. Possunt ergo nuncupari ut sensibilia propria quidem sed mediata, dum isti influxus physici (nondum cogniti seu a virtute sensitiva attrati; sed jam in organo recepti) sint sen-

sibilia propria immediata, objecta "intus", repraesentantes objecta "foris", ut v.g. coloratum extensum (sensibile immediatum, objectum intus) in oculo receptum, quod inest in aethere qui immediate tangit retinam, repraesentat colorem pomi (sensibile mediatum, objectum foris). Adverte tamen quod hoc immediatum objectum late tantum dicitur esse intraorganicum, nam non inest in nervo quod stricte est organum sensus, sed inest tantum in illa parte corporis subjecti sentientis in qua resident terminationes hujus nervi.

In nervo, ab ipso objecto "intus" immediate tangente hunc nervum, producuntur determinationes physicae, et chimicae et physiologicae quae - hoc importat non confundere - non sunt jam species sensibilis impressa sed media tantum ad hanc in sensu producendam. Ab his determinationibus immutatur organum informatum a vi sensitiva, et haec utpote ab organo in esse dependens, ea ipsa immutatur recipiendo determinationem psychicam, seu speciem sensibilem impressam. Ita imago retinalis non est species impressa visus, sed est physica et photochimica determinatio qua species impressa seu psychica determinatio producitur.

Sic sensus, specie sensibili recepta, ab ea informatur dupliciter: antitative et cognoscitive ut supra explicatum et transit ad suum actum secundum, nempe ad cognitionem actualem objecti eum apprehendans sine specie expressa, ut conscientia testatur.

Ista actio cognoscitiva sensuum externorum perficitur in singulorum sensuum sensoriis quae sunt pleraque in superficie corporis, aut in solis sensoriis cerebri. Satis difficilis est solutio hujus quaestionis et parum quidem refert ad thes^eim nostram. Pro rationibus biologicis et psychologicis verior apparet sententia S. Thomae et scolasticorum qui docent sensationis sedem

esse peripheriam asserentes tamen sensus externos haurire vim suam sensitivam ex conjunctione cum cerebro, cum sensu communi. Quaequae sint de hoc, verum est sensationem in peripheria esse quodammodo imperfectam, cum in cerebro tantum operæ sensus communis conscia fiat (clare et expresse).

2-Sensatio interna.

Per ultima illa verba ducimur ut per manum ad loquendum de sensibus internis quorum primus est praecise sensus communis. Ceteri sunt phantasia, aestimativa et memoria. Numerus et distinctio eorum fundatur in diversitate operationum eorum quae ab objectis formaliter diversis specificantur.

SENSUS COMMUNIS organum - omnium sensuum internorum pariter - inest in cerebro (et secundarie in medulla spinali, addimus pro sensu communi). Usque ad cerebrum omnis sensatio externa perducitur a motibus physiologicis qui, irritatione peripheriae producti, nervorum fibras percurrunt et in cerebro organicam imutationem efficiunt, a qua gignitur species sensibilis impressa ad actum sensus communis requisita. Sensationes sensuum externorum igitur sunt objectum formale sensus communis per quem animal 1° sentit se sentire, non tantum in actu exercito, sed in actu signato, 2° apprehendit et distinguit inter se objecta singulorum sensuum externorum.

Istae sensus communis apprehensiones seu perceptiones ipsemet venientes ex perceptionibus sensuum externorum, prout abstrahuntur a praesentia et absentia, non sunt nisi ipsum objectum ~~formale~~ PHANTASIAE. Ab eis species impressa, efficitur in phantasia quae sic determinata producit in se speciem expressam (phantasma) ~~quae sic determinata producit~~ in qua objectum representatur et apprehenditur. Ideo primum munus phantasiae est recipere perceptiones sensus communis easque retinere in absentia sensilium.

Sed potest praeterea eas revocare et reproducere sive sub excitatione voluntatis (in homine), sive sub excitatione vel physiologica (e.g. pressione sanguinis) vel psychica (imagum associatione). Tandem potest etiam eas conjungere inter se et cum sensatione sensus externi et sensus communis et sic convertere simplicem sensationem in "perceptionem" (stricte dictam). Ut v.g. color pomi ab oculo viso (simplex sensatio) adjiciuntur per phantasiae repraesentationem multae aliae qualitates, ut odor, sapor, resistentia etc., pertinentes ad alios sensus et ab his antea cognitae, et sic potum totum fit objectum perceptionis, ope phantasiae, licet solus color ejus actualiter apprehenditur.

Sensui interno qui vocatur VIS AESTIMATIVA in brutis et cogitativa in homine, pertinet apprehendere in re sensata ab aliis sensibus, et mediantibus his sensationibus externis et internis quae praecesserunt, hoc determinatum et concretum utile vel noxium non sensibus sed individuo aut speciei. Nocivum enim et conveniens naturae individui aut speciei, seu intentiones insensatae in re externa per sensus externos repraesentata sunt demum objectum formale hujus sensus.

MEMORIAE tandem sensitivae, quae cum phantasia non confundenda est, proprium est percipere rem singularem concretam ut olim perceptam scilicet praeteritum ut praeteritum (objectum ejus formale) et non, sicut phantasia simpliciter revocare imaginem rei prius perceptae. Per memoriam sensitivam igitur, res recognoscitur, i.e. cognoscitur formaliter ut prius jam cognita. Simul ac vis aestimativa, memoria in homine altioremodum operandi habet et designatur ut "reminiscentia".

B- Cognitio intellectualis.

Imateriales secundum quid, facultates cognitionis sensitivae sunt porro organicae i.e. agunt per organum et in organo resident. Contrarie se habetur intellectus qui eminentiam non quamquam habet super materiam, sed est stricte immaterialis, scilicet in esse et agere independens a materia i.e. ab organo corporeo. Est virtus animae solius, non, ut sensus, compositi ex anima et corpore, et operatur independententer a materia, non autem extrinsece, seu objective scilicet pro objectis suis quae in statu normali unionis animae cum corpore non eis praebentur sine concursu sensationis, sed intrinsece seu subjective, quatenus in operando nulli materiae corporae subicitur.

Spiritualitas intellectus humani apparet principaliter I° ex hoc quod reflectit reflexione propria- quod requirit potentiam ab omni materia absolutam, 2°:et praesertim, ex hoc quod cognoscit universale, ut experientia patet, et conceptus universales formulat, scilicet ex hoc quod objectum ejus formale quem nunc determinatur totum ordinem corporeum supergreditur.

Objectum formale intellectus distinguitur dupliciter, nempe in communi, et in proprio, secundum quod intellectus consideratur ut est in se, vel in aliquo statu. Objectum formale commune est ratio generalissima sub qua intellectus fertur in res, et haec est "ratio entis". Proinde cognoscit entium differentias et determinationes inquantum et quia habent rationem entis. Intellectus enim cognoscit id quod necessario et essentialiter convenit rebus, scilicet essentias aut quidditates rerum. Essentia autem non est nisi ens. Nam ens est "habens esse", seu quidditas. Ens igitur in quantum ens, est objectum formale commune intellectus humani quod

valet etiam pro omni intellectu.

Isti objecto communi, objectum proprium aliquid superaddit quo contrahitur et determinatur secundum statum in quo inveniri potest intellectus noster sit sive in statu naturali, vel unionis animae cum corpore, vel separationis, sive supernaturali. In statu elevationis-(quod ad theologos pertinet-) objectum formale proprium est ipse Deus intuitive cōgitus. In statu separationis-quod non hic tangetur nisi per accidens- est substantia propria āpsius animae separatae.

In statu autem unionis animae cum corpore, objectum formale proprium intellectus est, ut testat experientia et ratio, quidditas rei materialis, per phantasiam repraesentatae. Immo illam attingit intellectus, non ut singularem, sed ut universalem, scilicet prout separatur aut abstrahitur ab individuo singulari(a re materiali) in quo continetur.

Mediante suo objecto proprio, primarie et directe cognitō, intellectus potest cognoscere alia, et haec dicuntur esse sua objecta materialia et indirecta. Sunt aut superioria objecto proprio: res spirituales, non exclusa ipsa anima sui-ipsius, aut inferiora: singularia materialia. Haec cognoscuntur altiori modo quam sunt in seipsis, scilicet non sensiliter ut a sensibus, sed intellectualiter, quatenus continentur in objecto proprio intellectus et intellectus ad hanc continentiam advertit per quamdam reflexionem regredientem usque ad phantasma unde incipit intellectio. Illa autem cognoscuntur inferiori modo quam sunt in seipsis. Nam trahuntur ad modum essentī objecti formalis proprii scilicet non cognoscuntur nisi analogice, per comparisonem ad corpora sensibilia removendo^{et} conceptibus ex his haustis imperfectiones quas judicamus eis non convenire. Ita substantiam~~am~~ angelicam concipimus ad

instar substantiae corporeae removenda extensionem, corruptibilitatem etc.

Omnis igitur cognitio intellectualis fit per objectum formale proprium intellectus quod est quidditas universalis rei materialis per phantasiam repraesentatae, in quo statuitur: 1° objectum intellectus esse aliquid spirituale et universale, 2° hoc objectum contineri in materiali et singulari a quo, mediante ~~phantasmate~~ quod est etiam materiale et singulare praesentatur intellectui. At repugnat aliquid corporeum et concretum praesentare facultati stricte spirituali objectum immateriale et universale, sit abstractum a materia corporea et individua, si cum eo non adest aliud quod suam deficientiam impleat. quid est istud "aliud"? Respondemus: facultas animae rationalis capax excudere ex conditionibus materialitatis et singularitatis in quibus est involuta, quidditatem rei materialis per phantasiam repraesentatae, praestando phantasmati id quod deest ut possit praesentare intellectui suum objectum proprium et sic producere speciem intelligibilem impressam. Haec facultas, inorganica igitur et abstractiva, a scholasticis vocatur "intellectus agens".

Intellectus agens producendo speciem impressam, reducit intellectum formaliter intelligentem seu possibilem in actu primo, et sic determinatus, intellectus possibilis fit suum objectum (in actu secundo) seu elicit intellectionem et hanc eliciendo producit verbum (conceptum ~~formalem~~), seu speciem expressam in qua contemplatur objectum ut cognitum (conceptus ~~objectivus~~)...etc. Nihil amplius dicere opus est de cognitione intellectiva, cum thesis nostra sit de intellectu agente quod est praerequisitum ad intellectionem. Unde non oportet hic immorari super quod sequitur

aut comitatur intellectionem,. Sed sic oportebat facere super ~~144~~
~~144~~ quod eam praecedat usque ad punctum ubi intervenit intellectus
 agens.

DIVISIO

Cum ipsa ~~ex~~istentia hujusmodi facultatis qualis est intellectus agens a multis philosophis in dubio revocatur, primo quaerendum est utrum sit necesse ponere intellectum agentem, et postquam existentia ejus erit firmiter demonstrata, cum non facile explicetur modus quo immateriale potest cum materiali concurrere ad unicum effectum spirituales producendum, inquiremus, secundo, quomodo sit intellectus agens respectu phantasmatis et quomodo utrumque operetur ad speciem producendam. Quare habebitur in thesi nostra duplex pars cujus prima erit "AN SIT INTELLECTUS AGENS", et secunda, "QUOMODO OPERATUR". Huic duplici quaestioni respondendo, quid sit intellectus ~~ag~~ agens erit ipse facto, bene et integraliter determinatum. Quare de natura ejus non habetur specialis et distinctus tractatus.

PROPOSITIO:

In duabus istis partibus haec duo ergo asseruntur:

1° Inest in anima rationali, praeter intellectum cognoscitivum, seu possibilem, facultas activa, inorganica, intellectus agens a scholasticis recte vocata, quae, in praesenti rerum conditione, facit cum concursu phantasmatis quidditatem rei materialis actu intelligibilem, seu speciem intelligibilem impressam producit.

2° Intellectus agens ad producendam speciem intelligibilem impressam operatur ut causa efficiens principalis, utendo phantasmati tamquam causae vere et proprie instrumentali.

PRIMA PARS THESEOS :

AN SIT INTELLECTUS AGENS.

I- Status quaestionis.A- Explicatio terminorum.

a- INTELLECTUS AGENS ET INTELLECTUS POSSIBILIS

Dicitur in propositione inesse in anima rationali prae-
ter facultatem formaliter intelligentem alteram "intellectus a-
gens" nuncupatam. Secundum hoc igitur dupliciter distinguitur
intellectus humanus. Sed ad unum intelligere nostrum, non se-
cundum idem utraque istarum facultatum agunt. Prima, quae voca-
tur intellectus possibilis, formaliter elicit operationem co-
gnoscitivam intellectualem. Alterius actio concurret ad intel-
lectionem ut conditio praerequisita tantum. Unde haec improprie
et analogice tantum dicitur intellectus, illa vero, intellectus
stricto et proprie dictum.

Intellectus possibilis cum sit sicut omnis facultas
cognoscitiva, facultas passiva, sit indeterminata, respectu
objecti sui, debet intrinsece determinari ab illo ad id ipsum
cognoscendum (tunc est in actu primo), antequam eliciat (actus
secundus) suam operationem formaliter cognoscitivam qua fit (in
actu secundo) ipsum objectum suum. Est intrinsece determinatus
ad intelligendum seu fit suum objectum in actu primo, quando re-
cipit speciem impressam ab ipso suo objecto proveniente et ip-
sum repraesentantem. Productionem istius speciei in intellectu

possibili attribuitur intellectui agenti cum concursu phantasmatis operante, quare relative ad species impressas intellectus possibilis dicitur receptivus specierum et intellectus agens productivus earum. Hic speciem intelligibilem producit sed non efficit, intelligit; ille vero speciem non efficit, sed supponit, elicit autem intellectionem. Sic liquescit cur solus intellectus possibilis dicitur formaliter intelligens intellectus agens vero non nisi causaliter inquantum facit intelligere, reducendo per speciem impressam seipso productam intellectum possibilem a potentia intelligendi ad actum primum operationis suae.

Intellectus possibilis igitur dicitur potentia passiva quia indiget completionem actus primi per speciem impressam qua constituitur plene in actu primo. E contra se habet intellectus agens qui semper plene est in actu primo. Non debet recipere aliquid intrinsece ut agat sed est de se jam potens agere. Quare dicitur "sua actio", in hoc sensu, ut explicat S. Thomas (Ia. q. 54, a. 1. ad 1um) quod "cum sit in actu ejus substantia (entitas), statim, quantum est in se, concomitatur ipsum actio; quod non est de intellectu possibili qui non habet ~~de~~ intellectionem nisi postquam fuerit factus in actu" (per speciem) Et hoc propter intellectus ille vocatur "agens" et saepe quoque "intellectus activus" vel "virtus aut vis intellectualis activa", "in quantum est quaedam virtus immaterialis activa potens alia sibi similia ~~agere~~ sc. immaterialis" S. Thomas In III de Anima l. 10a.

Saepe etiam intellectus agens vocatur virtus aut vis abstractiva quia in factione speciei intelligibilis habetur ^{quae-} ~~spe-~~ ^{dam} abstractio a phantasmatibus. Species enim est ipsum objectum

actu intelligibile factum immo in actu primo intellectu. Erat autem antea in potentia tantum intelligibile, scilicet involutum, in conditionibus materialibus et individuantibus. Exundo igitur ex his conditionibus objectum intelligibile dum producit in intellectu possibili speciem impressam, intellectus agens quamdam abstractionem efficit quatenus facit phantasma praesentare intellectui possibili, in specie impressa, nudam quidditatem universalem sine suas determinationes individuas quae ei conveniunt prout est in re.

Intellectus agens tandem vocatur lux vel lumen spirituale ex metaphora desumpta a luce corporali quae colores reddit ~~vibiles~~ actu. Sicut enim sine lumine, color videri non potest, ita sine actione intellectus agentis quidditas rei materialis relucere non posset intellectui possibili. Ideoque "sicut lumen" Aristoteles dicit esse intellectum agentem. Et S. Thomas explicat, dicens quod sicut lumen "quodammodo facit colores existentes in potentiam esse actu colores" ita "intellectus agens facit intelligibilia esse in actu, quae ipsa prius erant in potentia, per hoc quod abstrahit a materia" (In III de Anima, 5, 1.10)

b- PHANTASMA.

Statuitur secundo in propositione quod intellectus agens operatur "cum concursu phatasmatis". Phantasma hoc non intelligendum est tamquam pertinens ad solam istam facultatem sensitivam, phantasiam nominatam, de qua dictum est in introductione generali ad thesim, sed etiam ad memoriam (sensitivam) et ad cogitativam. Haec tres altiores virtutes partis sensitivae simul in thesi denominatur unica voce: "phantasia" (late dicta).

Praeterea caveas ne existimes phantasma tamquam imaginem bene delimitatam ac fixam seu immotam alicujus rei, arboris exempli gratia. Hoc est contra testimonium conscientiae. "Prêter une entité stable à l'image, ait P.J. Wébert^{O.P.}, est en opposition avec la conscience expérimentale, perpétuellement changeante, de ^{la} vie psychologique concrète" (Editions de la Revue des Jeunes: Somme Théologique, L'âme humaine; Appendice II. p.377) Sed sumendum est phantasma pro aliqua imagine seu schemate physicae realitatis, magis minusve elaboratum, nunquam idem in successionem temporis, immo, essentialiter mobile. "Le schème de l'imagination est essentiellement mobile, et si les nuances de son évolution ne sont pas toujours perceptibles; l'observation montre néanmoins que l'identité qu'on lui attribue est factice" (l.c. p.387). Tandem, neque necessarium est phantasma sit semper repraesentatio alicujus rei. Potest enim simpliciter esse ~~in~~ usu et commercio idearum saltem- mera imago vocis seu vocabuli, sive scripti, sive ore prolati Sumendum ergo phantasma in hac thesi (in utraque parte) pro aliqua repraesentatione sensili quaecumque sit, etiam si non esset nisi "un minimum de figuration directe ou symbolique"(Bahler, citatus in "La Pensée humaine, Somme Théologique, Editions de Jeunes p.235.)

C- IN PRAESENTI RERUM CONDITIONE

Dicitur postea in propositione "in praesenti rerum conditione" ad excludendum duo: primo, statum separationis animae a corpore ~~statum~~ anormalem; secundo, statum elevationis super ordinem naturalem- statum supernaturalem. Agitur ergo, ut patet, de hoc statu normali et naturali unionis substantialis animae cum corpore Oportet notare quod assertio illa non comitatur

in propositione ly "in esse intellectus agentis, sed ly "facere" ejus; aliis verbis, non dicitur quod "in praesenti rerum conditione inest in anima, intellectus agens," "sed quod " "in praesenti rerum conditione, intellectus agens facit seu producit speciem." Ratio est quia etiam in statu separationis, intellectus agens jam inest in anima rationali (separata), licet nullam habeat actionem. Etenim sicut omnis potentia spiritalis seu anorganica, intellectus agens inhaeret non composito ex anima et corpore (ut obtinet in sensu) sed soli animae spiritali. Unde separata anima a corpore, intellectus agens, quamvis non possit habere actum, remanet utique in ea tamquam pertinens ad integritatem naturae. Ideoque recte reservatur incisum "in praesenti rerum conditione" ad agere intellectus agentis et non illud additur ad ejus inesse in anima.

d- Denique statuitur in propositione quod intellectus agens "facit quidditatem rei materialis actu intelligibilem, seu speciem intelligibilem impressam producit." Recte in hoc dicitur "seu", nam objectum intellectus, nempe quidditas rei materialis, quod extra intellectum non est intelligibile. nisi in potentia fit aptum ut cognoscatur i.e. fit actu intelligibile tantummodo in specie impressa. "L'objet de l'intelligence qui hors d'elle n'est pas intelligible, sinon en puissance, ne devient apte à être saisi par elle (intelligible en acte)" qu'au dedans d'elle dans la species impressa qui le rend présent en elle" (J. Maritain, Réflexions sur l'intelligence, Ch. 2, p. 57), Unde pro intellectu agente facere quidditatem actu intelligibilem, aut producere speciem intelligibilem impressam idem est.

B- Sententiae

B- Sententiae.

Circa existentiam intellectus agentis, duplex tantum habetur opinio: eorum qui negant, et eorum qui illam admittunt. Hi sunt scolastici fere omnes; illis, omnes philosophi extra ~~Scolam~~ Ratio cur, facile intelligitur. Videtur enim impossibile negare existentiam intellectus agentis unicuique admittit theoriam Aristotelo-scholasticam cognitionis. Nam factum ejus necessitatis fit irreductibile ex hoc ipso quod accipiuntur priora principia cognitionis qualis eam explicamus et qualis est revera, nempe, passivitas, dein activitas immanens intellectus possibilis, ejus pura spiritualitas, ejus cognitio spiritualis et universalis ex una parte, et ex altera parte, proveniens a sensibus, et mediantibus illis, a rebus singularibus et materialibus. Qua propter paucissimi dantur inter scolasticos - sive veteres, sive in recentibus temporibus - qui infutiantur intellectum agentem. Possumus nominare ex his, Balmès, Palmieri, Berniès, eclecticior postius quam ~~scolasticos~~, et ex illis, Alvernum, Aureolum, Durandum, et alios nonnullos.

E contra, tota philosophia, quae dicitur moderna, e Cartesio usque hodie, cum explicat cognitionem e fundamento et principiis summe diversis, rejicit intellectum agentem, aut potius de eo omnino tacet et nullam curam habet. Unde determinare cur hi omnes nolunt admittere intellectum agentem non est nisi exponere theoriam uniuscujusque circa cognitionem. Quod non hic faciemus, tum propter miram multitudinem et varietatem illarum opinionum, tum propter nimiam extensionem quam ex hoc pateretur opus istud, tum propter parvam utilitatem quam hoc afferret ad finem istius theses, i.e. ad demonstrandam intellectus agentis existentiam. Unde hoc solum faciemus: omnes

illas sententias jungemus in aliquibus systematibus tamquam in generibus, et de istis exponemus praecipua puncta tantum et brevissime quidem. Praeterea non tam considerabimus in eis, cognitionem ut sic quam modum quo explicant originem cognitionis nostrae, cum sit in isto problemate originis idearum nostrarum quod primarie et facilius apparet, ut mox infra dicetur, necessitas intellectus agentis.

Circa originem idearum adversarii intellectus agentis dividi possunt in duobus supremis generibus: idealismus (largo sensu) aut melius intellectualismus exaggeratus et materialismus seu sensualismus, quibus etiam reduci possunt veteres graeci extra sculam peripateticam.

Secundum sensualistas, ideae non essentialiter differunt ab imaginibus sensilibus et meris sensationibus. Unde asserunt ideas nostras a sensibus provenire quae possunt ex se solis illas producere. Etenim sensualistae (quales sunt sensualistae, empiristae et positivistae) existimant ideas, quae dicuntur universales, oriri ex associatione et confusione perceptionum singularium. Sensualismo pertinent, diversis tamen juribus ex veteribus temporibus: Heraclitus, Empedocles, Democritus, Epicurus; ex recentiori aetate; Hobbes, Locke, Hume, Condillac, Aug. Comte, St. Mill, Spencer, Wundt, etc.

Intellectualistae-exaggerati e contra autumant - et recte - dari essentielle discrimen inter ideam et sensationem etiam elaboratissimam, tamen nolunt admittere ideas universales nos accipere ex sensationibus, et mediantibus illis, ex rebus prout existunt in mundo. Unde ergo ~~ergo~~ derivantur ideae nostrae? Diversimode respondent: vel ex nobismetipsis quae, cum intellectus noster (inquiunt) sit ipsa natura sua per se ipsum

constitutus potens agere, producimus omnem cognitionem ex sola activitate mentis nostrae quae suas formas imponit rebus (subjectivistae transcendentes, seu idealistae stricte dicti: Kant, Fichte, Schelling, Hegel etc); vel ex aliquo extrinseco agente aut Deo, aut hominibus. Ex Deo duplici modo; vel enim intellectus noster in Deo ideisque divinis immediate attingit perceptiones suas (ontologismus: Malebranche, Gioberti, Ubaghs), vel ipse Deus ideas ponit in nos sive directe et sub actuali exercitatione cogitationis nostrae (Berkeley) sive ab initio (inneismus), creans intellectum ideis jam praeditum, aut omnibus ideis (Plato, Leibniz), aut pluribus (Cartesius), aut una tantum, idea entis (Rosmini). Ex hominibus tandem (Traditionalismus) in quantum ideae nostrae sive omnes (de Bonald, Lamennais) sive plures tantum (Bonnetty, Ventura) - a Deo primo homini traditae, accipiuntur in posteros homines ex solo sermone.

Inter sensualismum, qui affirmat ideas venire ex sensibus sed ad sensationes sese reducere, et intellectualismum exaggeratum qui, licet agnoscat essentielle discrimen inter ideas et sensationes, recusat illas derivari ex sensibus, stat SENTENTIA ARISTOTELO-SCOLASTICA secundum quam ideae nostrae essentialiter differunt a sensationibus, sed educuntur ex illis, et consequenter ex rebus materialibus quas representant, ope actionis facultatis anorganicae et activae i. e. intellectus agentis.

Aristoteles omnibus primus affirmavit existentiam hujusmodi facultatis in anima. Primi ejus commentatores (Alexander Aphrodisiensis, Avicenna et Averroes), male interpre-

tantes mentem Philosophi, opinati sunt intellectum agentem esse ut sic extra animam ad modum entis per se subsistentis, scilicet quamdam substantiam separatam. Sed scholastici qui proxime antecesserunt S.Thomam, ad genuinam Aristotelis doctrinam de intellectu agente plus minusve leve et timide inchoati sunt revertere. Dein Albertus Magnus illam valde purgavit et tandem S.Thomas in tota sua integritate restituit ac multo locupletavit. D.Doctoris aequales ac proximi successores eum plerumque secuti sunt in hac re (S.Bonaventura), licet aliqui munus diversum quandoque tribuerint intellectui agenti (Henricus Gandavensis, Duns Scotus). Alii adhuc sustinuerunt averroismum (Sigerus de Brabantis), aliqui tamen conantes illum componere cum fide catholica, censerunt Intellectum Agentem (separatum) esse ipsum Deum (Rogerius Baco). Ab initio philosophiae modernae usque nunc, ex praecipuis defensoribus intellectus agentis citantur Cajetanus, Ferrariensis, Vasquez, Bannez, Conimbricenses, Carmelitanus, Joannes a Sto Thoma, Goudin etc., etc., communiter; et apud recentiores, Thomistae omnes et alii plures.

C- Punctum quaestionis

In ista ergo thesi, intendimus defendere aristotelischolasticam theoriam, nempe quod existit in anima humana praeter intellectum possibilem, altera facultas anorganica, activa tamen, intellectus agens nuncupata.

Demonstratio existentiae hujusmodi facultatis non est invenienda ex solo testimonio conscientiae. Intellectus enim agens ejusque actus nullomodo immediate attingi possunt per cognitionem reflexam seu conscientiam, licet sint ordinis spiritualis i.e. absoluti a materia, qua impeditur reflexio. Nam materiae

absentia non sufficit ut habeatur cognitio reflexa sed requiritur praeterea actus cognoscitionis ^{aliter} jam hunc actum, nempe, suam intellectionem, intellectus potest cognoscere (cognitione reflexa); potest etiam usque ad subjectum seu principium istius actus redire et illud cognoscere (cognitione reflexa) modo imperfecto et confuse, non distinguendo (nisi ope rationis) principium proximum (intellectus, determinatus per speciem impressam) et principium remotum (anima) Actus autem intellectus agentis non est actus cognoscitionis sed actus transiens, actus vitalis, naturalis (si ita potest dici), procedens a facultate quae non indiget immutatione ab objecto ut operetur, actus praerequisitus ad intellectionem, non ipsa intellectio. Quare actus ille non cadit in dominum conscientiae seu cognitionis reflexae. Neque sit possibilis sola cognitione reflexa percipere intellectum agentem, in quantum influit in intellectionem, sicut aliquis percipit se habere animam intellectivam ex hoc quod percipit se intelligere. Nam si per solam conscientiam non possumus distinguere inter principium remotum et principium proximum intellectionis, a fortiori non est possibile conscium esse intellectus agentis, qui est multo magis remotus ab intellectione, quam ipso principio, sed debemus ad illum pervenire mediante rationem. Unde demonstratio existentiae intellectus agentis non est sumenda ex solo testimonio conscientiae, sed ex metaphysica argumentatione. Dicitur "non ex solo testimonio conscientiae" quia licet conscientia nihil dicat directe de intellectu agente, tamen tota argumentatio rationis fundatur in testimoniis conscientiae et experientiae. Conscientia enim (et ratio pariter) testatur quaedam facta, ut v.g. nos ex una parte habere ideas universales, et ex altera parte, omnino dependere, in actuali intellectione, a cognitione sensitiva, a phantasmatibus. Ex illis factibus et aliis similibus conscientia et

experientia traditis, deducitur, ope rationis, existentia intellectus agentis, quia nulla alia ratio explicativa eorum inveniri potest.

Existentia igitur intellectus agentis demonstranda est ex ejus necessitate, fundata, mediante rationis, in testimoniis conscientiae, experientiae et rationis. Necesse est ponere intellectum agentem, ergo existit. Ex alicujus rei necessitate, non semper deducenda est ejus actualis existentia; talis deductio tamen est legitima in hoc casu, secundum axioma "natura non deficit in necessariis", quia agitur de aliquo necessario perfectissimae naturae hujus terrestrii mundi, naturae hominis.

Necessitas intellectus agentis ex duobus apparet. 1° in origine idearum nostrarum enucleanda. 2° in usu personali et aliis alia communicatione idearum jam acquisitarum. Haec autem ultima via videtur minus appositae quam prima ad faciendam certitudinem, ac porro munus attributus intellectui agenti in illa, patet mera consequentia illius quo gaudet in prima, Unde nos utimus, ad probandam existentiam intellectus agentis, prima via scilicet intellectus agens patet necessarius ad explicandam primam acquisitionem seu originem idearum. De munere intellectus agentis in usu et commercio idearum jam acquisitarum dicetur in fine ad modum corollarii.

Explicare originem idearum nostrarum, seu quaerere quomodo acquiritur primos conceptus universales quos conscientia testatur nos formulare, idem est ac quaerere quomodo intellectus noster constituitur in actu primo. Nam secundum quod est determinatum seu actum aliquid agit, et sic, intellectus cognitionem elicit non alio modo ac fuit antea determinatum seu constitutum in actu primo. At est per speciem impressam ut dictum est in introductione, quod intellectus constituitur proxime potens agere seu fit suum objectum

in actu primo. Ergo ad reperiendam originem idearum sufficit invenire quatenam sit causa efficiens speciei intelligibilis impressae.

Ad determinandum quatenam causa efficitur species impressa in intellectu possibili, nos statuimus, cum scola peripatetica-scholastica, quod praeter phantasma requiritur intellectus agens. Concedimus sensualistis causam sensilem esse necessariam, sed dicimus eam non esse sufficientem. Unde cum intellectualistis exaggeratis asserimus necessitatem causae supra-sensilis, sed hanc causam comparamus esse omnino diversam ac illam quam defendunt, et requiri praeterea assistentiam causae sensilis i.e. phantasmatis.

Denique notandum est hic solummodo demonstrari factum necessitatis ac proinde existentiae intellectus agentis. De modo (i.e. in quonam genere causarum) quo intellectus agens cum phantasmate operetur, tractabitur in altera parte hujus thesios.

II- Probatur

1- PRIMUM ARGUMENTUM (DIRECTE)

Ad producendam speciem impressam in intellectu cujus objectum non est de se ad hoc aptum requiritur concursus alterius causae quae deficientias objecti impleat.

Atqui intellectus nostri objectum proprium quod est quidditas universalis rei materialis per phantasiam repraesentatae non potest de se producere speciem intelligibilem impressam.

Ergo requiritur concursus alterius causae quae deficientias objecti impleat.

Atqui per intellectum agentem cum phantasmate operantem implentur deficientiae objecti.

Ergo requiritur intellectus agens

MAJOR PATET. Nam species produci debet per objectum. Ut dictum est enim in introductione, species impressa est forma in facultate cognoscitiva recepta, loco ipsius objecti, per quam cognoscens fit ipsum objectum in actu primo. Evidens est autem talem formam a nulla alia causa effici posse nisi ab ipso objecto sive solo si sit capax illam producere at in casu sensuum externorum in quibus objecta sensilia externa possunt per se sola speciem sensilem producere, quia tunc causa et effectum in eodem ordine sunt; sive cum alia causa adjuvante, si per se solum, objectum non habet omnia requisita ut sit causa proportionata. Et superfluum est dicere quod haec alia causa gaudere debet omnibus istis proprietatibus quae in objecto desunt, ita ut utroque simul concurrente ad unum idemque effectum, nempe speciem, habeatur causa adaequata hujus speciei.

MINOR PRIMA PROBATUR.

A. Quoad primam partem (i.e. objectum proprium intellectus nostri est quidditas universalis rei materialis per phantasiam repraesentatae).

1° Est QUIDDITAS

Nam objectum formale commune intellectus nostri in quocumque statu (immo objectum formale omnis intellectus) est ens seu quidditas. Intellectus enim attingit in re id quod necessario et essentialiter convenit rei, non vero accidentalem apparentiam seu qualitates concretas, singulares ejus. Cognoscit ergo essentiam rei, seu "QUOD QUID EST" (quidditas tem). At si objectum formale commune intellectus est quidditas, quidditas etiam inveni debet in objecto proprio intellectus scilicet prout intellectus consideratur in aliquo determinato statu. Nam objectum proprium/^{non est nisi ipsum objectum} commune contractum et determinatum ab aliquo superaddito. Ergo objectum formale proprium intellectus nostri in hoc statu unionis animae cum corpore est praepriis quaedam "quidditas".

2° est quidditas UNIVERSALIS.

Objectum proprium intellectus nostri est quidditas, non tamen prout est singularis, sed prout est universalis. Essentia enim singularis, experientia constat, nos latet. Nam individua non cognoscimus nisi ex aggregatione accidentium quae contingenter tantum individuo conveniunt ac proinde non sunt de essentia ejus, Sed positive etiam experientia constat hoc quod intelligimus esse non singularem sed universalem quidditatem. Nam unusquisque, reflectendo supra proprios conceptus, potest experiri se non distrahi ad individua, quando concipit hominem aut animal ut sic, sed concipere rationem hominis, aut animalis absolute. Haec vero,

neque singularis, neque collectiva est sed universalis. Item, homo quidam qui unum tantum individuum alicujus naturae jam vidisset, si nunc conspiciat alia individua ejusdem naturae, licet dissimilia quoad notas individuantes, statim eis applicat idem nomen ac primo individuo olim viso. Quod non accideret nisi in primo individuo adspectato, perciperetur ipsa ejus natura a notis individuantibus liberata et apta inesse pluribus, scilicet aliqua notio universalis. Quod ergo primo et directe attingimus est quidditas universalis.

3° est quidditas universalis REI MATERIALIS

Objectum proprium igitur intellectus nostri in praesenti statu est quidem quidditas universalis non autem cujuscunque entis, sed hujus specialis generis entium quae sunt res materiales seu corporeae: ad hoc restringitur objectum formale commune intellectus ~~ipsi~~ in quocumque statu quod debet esse quidditatem rei materialis, ut fiat objectum proprium intellectus secundum statum praesentis unionis

Probatur hoc primo ex proportionem quae vigeri debet inter facultatem et ejus objectum proprium. Nam intellectus humanus ~~est~~ facultas inorganica animae immaterialis quae est tamen forma corporis, scilicet aliquid immateriale, in materia tamen existens. Tali facultati dari debet objectum ejusdem ordinis, nec materiali, nec pure immateriale, sed formam rei materialis sine materiae conditionibus, scilicet natura aut quidditas universalis rei materialis.

Non autem solum a priori habetur haec demonstratio sed etiam ex experientia. Nam objectum proprium intellectus qui nihil potest intelligere sine actuali conversione ad phantasmata, non est aliud quam quidditas rei materialis. Si enim esset forma separata ut posuit

rata ut posuit Plato, vel forma (seu quidditas) rei spiritualis "non oporteret, ait S.Thomas I, q.84, a.7 quod intellectus noster semper intelligendo converteret se ad phantasmata". Est evidens. Atqui conscientia testat quod nihil possumus intelligere nisi res intellecta repraesentatur in parte sensitiva per aliquam imaginem sensibilem et materialem. Hoc in numero sequenti probabitur. Concluditur ergo quod illud quod primo et directe attingit intellectus est quidditas prout invenitur in re materiali. Res caeteras attingit non immediate sed ad modum quidditatis rerum corporearum, ut constat pro rebus spiritualibus quas non cognoscimus nisi indirecte et analogice, scilicet comparando cum corporabilibus et ab his removendo omnia quae ipsis solis conveniunt ut materiam, extensionem, pondus etc.

Confirmantur haec omnia ex investigationibus peritissimorum philologorum qui testant primitivas radices omnium terminorum, etiam eorum qui res maxime suprasensibiles significant, omnes exprimere conceptus rerum materialium. Radix vocis "Deus" verbi gratia, est "div" et significat lucere; "anima" derivatur a radice sanscritica "an", spirare, et vox "esse" a radice "as, asu", spiratio. Cum autem termini sint signa idearum, ex hoc quod res etiam maxime immateriales non significamus nisi per terminos primarie significantes res materiales, confirmatur objectum proprium intellectus nostri esse quidditatem rei materialis.

4° e t quidditas universalis rei materialis

PER PHANTASIAM REPRÆSENTATAE

Quod in para grapho praecedenti, indigente probatione, tantum indicavimus, nunc demonstrabitur, nempe; hanc quidditatem rei materialis "non possumus attingere, ut ait P.Gredt, nisi dependenter a phantasia quatenus phantasia suo modo repraesentat id

quod intellectus quidditative attingit " Ad probandum quod intellectus nostri objectum proprium, scilicet quidditas rei materialis, non attingitur, nisi si ul phantasia sensitivo modo repraesentat rem cujus est quidditas, argumentatione tum a posteriori, tum a priori uti potest.

A POSTERIORI:- Ut probetur a posteriori quod objectum proprium intellectus est quidditas rei materialis per phantasiam repraesentatae sufficit et amplius ostendere quod non solum in acquisitione idearum sed etiam in usu idearum jam acquisitarum et in earum commercio ab uno ad alium hominem, homo constanter et universaliter dependet ab aliqua representatione sensitiva; aliis verbis quod nihil omnino intelligere possumus, nequidem substantias stricte immateriales, quin simul convertemur ad phantasmata seu convenientes imagines -de quibus expedit meminisse quod dictum fuit in explanatione terminorum.

In sua S.Theol. I,Q.84, a.7, S Thomas duo indicia de hoc praebet. Primum: si actus imaginativae vel memoriae ab aliqua organica laesione aut alia causa impeditur, et impeditur actus intelligentiae. Experientia constat. Atqui "cum intellectus sit vis quaedam, non utens corporali organo, nullo modo impeditur in suo actu per laesionem alicujus corporalis organi, si non requireretur ad ejus actum actus alicujus potentiae utentis organo corporali" (S.Th.1.c.). Ergo .. Secundum sic exponit: "quia hoc quilibet in seipso experiri potest quod, quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum Et inde est etiam quod, quando alium volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla, ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendum". (ibid.)

In eodem articulo Summae, ad tertium respondendo aliud dat factum experientiae, dicens "quod incorporea, quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur a nobis per comparisonem ad corpora sensibilia quorum sunt phantasmata". Substantias illas "cognoscere non possumus nisi per remotionem vel aliquam comparisonem ad corporalia." Idem dicendum est de caeco ex nativitate qui conceptos colorum sibi efformare non potest nisi per analogiam, concipiende ~~pe~~. e.g. colorem rubrum ad instar soni fortis cuius phantasma~~pe~~ habet ex praevia sensili cognitione.

A PRIORI: Patet igitur ex experientia quod nullomodo potest intellectus noster attingere objectum suum, quidditatem universalem rei materialis, quin simul haec res materialis repraesentetur per phantasiam. Et maxime rationale hoc est, et connaturale ad compositum humanum. Unio enim animae cum corpore debet esse in bonum animae intellectivae qua intellectivae, secus enim esset vitiosa et frustranea nam inferius est propter superius, corpus propter animam. At non potest inservire ad perfectionem animae in essendo, cum anima secundum suum esse nec originetur nec dependeat a corpore, Ergo ad perfectionem in operando, et in hoc operari quod competit animae ut spiritualis, est, i.e. intelligere. Atqui corpus concurrit ad operationem animae intellectivae qua talis, quando per phantasiam-et remote per sensus externos et sensum communem a quibus accipit phantasi species suas- repraesentatur res cuius quidditatem intellectus apprehendit. Ideo facile intelligitur cur objectum proprium intellectus nostri secundum praesentem statum est quidditas rei materialis per phantasiam repraesentatae.

B- Quoad secundam partem (i.e. objectum proprium intellectus nostri non potest de se producere speciem intelligibilem impressam).

Species ista est universalis et immaterialis.

Atqui objectum intellectus nostri non invenitur extra intellectum nisi in materia singulari.

Ergo non potest objectum intellectus nostri de se producere speciem impressam.

Major clara? Nam species, cum sit aliqua forma determinans intellectum possibilem, comparatur ad illum sicut actus ad potentiam. At actus determinans potentiam debet esse in eodem ordine. Ergo cum intellectus sit spiritalis, et species intelligibilis impressa. Praeterea, ut ait S. Thomas "ex hoc quod anima humana (ut jam supra probatum) universales rerum naturas cognoscit, percipitur quod species, qua intelligimus, est immaterialis, alias esset individuata, et sic non duceret in cognitionem universalis" (X de Verit. a. 8).

MINOR etiam facile liquescit ex hoc quod objectum intellectus nostri, ut immediate supra probatum, est quidditas 1° rei materialis, 2° rei materialis per phantasiam repraesentatae. Haec enim quidditas (seu natura) universalis, non existit extra intellectum, realiter separata a conditionibus materialibus, ad modum formae separatae ut posuit Plato, sed in rebus materialibus tantum sit in individuis, ac proinde non invenitur extra intellectum nisi sub statu materialitatis ac individualitatis seu singularitatis. Idem dicendum est si consideratur haec quidditas prout invenitur in phantasmatibus repraesentantibus rem materiale. Nam actionem phantasiae sequitur perceptionem sensuum externorum quibus in re externa qualitates materiales et singulares tantum attingunt. Ideoque phantasma non repraesentat nisi rem sensilem singularem et in eo quidditas invenitur sub iisdem conditionibus materialitatis et singularitatis ac in rerum natura. Objectum ergo intellectus

nostri prout existit extra intellectum sive in re materiali, sive in phantasia, cum sit conditionibus materialibus affixa, non potest de se producere speciem spiritualem. Neque potest dici phantasma in suo summo gradu elaborationis non essentialiter differre ab ideis universalibus; ideoque habere requisita ad speciem imprimendam in intellectu. Ad hoc respondetur: certum est quod phantasia quatenus in anima rationali sistit, altior vi gaudet quam in brutis. Quare phantasma in homine quandam perfectionem acquirit per quam sese appropinquat ad ideae apparentiam, sed ad ejus immaterialitatem nunquam potest pervenire. Aliquae imagines consociari possunt per leges similitudinis et oppositionis, et sic paulatim ita simplicari ^{ut prout quodammodo applicari} multis individuis. Sed etiam tunc, non habent veram universalitatem et inter maxime simplicatam imaginem et ~~ideam~~ ideam, jam adest abysus qui separat spirituale a materiale. Phantasma manet ad organum affixum et est semper concretum et singularem secundum suam naturam: non potest igitur quidditatem quae inest in seipso praesentare intellectui nisi tanquam conditionibus materiae et singularitatis subjectam. Ideoque objectum proprium intellectus etiam prout contentum in purissimo imaginationis schemati, non magis quam prout in rerum natura existens, potest de se producere speciem intelligibilem impressam.

Et tunc argumenti principalis prima CONCLUSIO sequitur: si objectum est de se insufficiens, cum species necessario produci debeat ab ipso objecto, requiritur, cum objecto operantis, concursus alterius causae quae deficientias objecti impleat, ita ut speciei detur causa efficiens adaequata. Haec aliam causam esse intellectum agentem cum phantasmate operantem nunc demonstrabitur.

MINOR SECUNDA PROBATUR

(i.e. per intellectum agentem cum phantasmate operantem, implentur deficientiae objecti).

Ut objectum intellectus i.e. quidditas rei materialis per phantasiam repraesentatae, possit producere speciem, liberari debet a conditionibus individuantes et materialisantibus.

Atqui per intellectum agentem cum phantasmate operantem, liberatur quidditas ab his conditionibus.

Ergo per intellectum agentem cum phantasmate operantem suppletur insufficientiae objecti, seu aliter dictu, objectum potest producere speciem.

MAJOR PATET ex praecedentibus Nam, ut vidimus, hoc per quod impeditur quidditas rei materialis per phantasiam repraesentatae, seu objectum proprium, ut producat speciem impressam in intellectu non aliud est nisi istae conditiones materialitatis ac singularitatis cum quibus ~~ita~~ invenitur involuta, sive in rebus exterioribus, sive in phantasmatibus. Quare ab his conditionibus liberata, seu exuta, seu abstracta, quidditas seu objectum potest speciem producere in intellectu, nam tunc, est actualitate spiritualis et universalis.

MINOR (i.e. per intellectum agentem, cum phantasmate operantem, liberatur quidditas a conditionibus materiae) PROBATUR.

1^o quoad intellectum agentem. Quid enim requiritur ut quidditas liberetur a conditionibus materialisantibus et individuantes? Causa, sicut est manifestum, IMMATERIALIS -ut possit producere effectum spirituale; ACTIVA -nam debet sese habere ut agens ut excudat quidditatem a materialitate rei; IN IPSA ANIMA SISTENS - nam natura perfecta omnia ad suam operationem requi-

sita habet de se. At intellectus agens, cum ponatur tamquam facultas anorganica et activa animae habet requisita ad exuendam quidditatem ab ejus conditionibus materialitatis.

2° Quoad phantasma, scilicet: per intellectum agentem cum phantasmate operantem.

Ista actio intellectus agentis nequit esse super rem sensibilem externam, sed perficitur mediante concursu phantasmatis quod non est nisi similitudo ipsius realitatis externae. Maxime ridiculosum enim esset fingere intellectum agentem agere directe in rem materiale externam ex qua hauriret quidditatem universalem relinquendo materiam et omnia quae hanc sequuntur. Haec denudatio quidditatis perficitur ab intellectu agente non directe ex re ipsa materiali, sed ope phantasmatis hanc repraesentantis, seu mediante phantasmate cum quo operatur ad efficiendam in intellectu possibili speciem impressam, quidditatis in re contentae. Et quod illud sic esse debet, implicite probatum est supra, ubi demonstravimus obiectum proprium intellectus nostri esse quidditatem rei materialis per phantasiam repraesentatae, consequitur, praeterea, praesentem statum unionis animae cum corpore, et est omnino attestatum ab experientia. Res naturales primo attingimus per sensationem externam cujus diversa data in perceptionem convertimus. Haec imperfecta cognitio conservatur et elaboratur in phantasia; denique, ope phantasmatis per virtutem intellectus agentis, quidditas eruitur et fit apta ad producendam speciem et sic res quae usque nunc sensitive tantum cognoscatur, fit apta ad quidditative cognoscendam.

Quare recte dicitur quod quidditas ab ejus conditionibus materialitatis liberatur per intellectum agentem cum phantasmate operantem. Utrumque requiritur. Sic liberata per actionem et intel-

lectus et phantasmatis simul operantium quidditas (seu objectum) nunc potest producere speciem. Sed caveas ne imagines objectum, seu quidditatem primo (prioritate temporis) fieri liberatam ab ejus impedimentis, secundo producere speciem. Non sic! Intellectus agens operando cum phantasmate directe et immediate producit speciem in intellectu possibili et, sic faciendo, quidditas liberatur a conditionibus materiae et fit objectum proportionatum intellectui, non extra intellectum, sed intra, in specie impressa. Nihilominus vere dici potest quidditatem ipsam (seu objectum) reapse producere speciem, in quantum species non est nisi forma vicaria objecti seu quidditatem, in quantum quidditas fit ipsa species. Quare recte minor secunda dicit: "per intellectum agentem cum phantasmate operantem implentur deficientiae objecti."

ULTIMA CONCLUSIO ARGUMENTI tunc naturaliter sequitur:

ERGO REQUIRITUR INTELLECTUS AGENS. Integra conclusio deberet esse: Ergo ad speciem efficiendam requiritur intellectus agens cum phantasmate operantem. Sed quia hic primo et principaliter agitur tantum de intellectu agente, de phantasmatibus autem solum per accidens, in quantum requiruntur cum intellectu agente ad idearum originem explicandam, possumus explicitate concludere de necessitate intellectus agentis tantum, subintellecta necessitate ipsius phantasmatis.

Totum argumentum breviter commemorari potest his verbis M. Jacques Maritain: "L'objet de l'intelligence, tel qu'il existe au dehors, où la matière offusque l'intelligibilité radicale que les choses tiennent de leur forme. "Irradiation de la clarté première" (S. Thomas), l'objet de l'intelligence engagé dans la matérialité de la chose, n'est pas au même niveau que l'intelligence. Celle-ci le domine comme l'infiniment, de toute la hauteur de sa pure

spiritualité. Il faudra, donc, d'abord, qu'il soit dégagé de la matérialité de la chose; et pour cela que l'irradiation transfiguratrice d'une lumière intellectuelle active (*intellectus agens*) tombant sur les images sensibles, (et se servant d'elles, comme d'instruments), en fasse faillir, pour l'imprimer dans l'intelligence, la similitude fécondante, la *species impressa* de la nature ou quiddité enfermée dans la chose" (Réflexions sur l'intelligence ch.II, p.57)

2- IDEM ARGUMENTUM ALIO MODO PROPOSITUM.

Idem argumentum proponi potest sub altera hac forma, a Cajetano tradita, ipso sequente S.Thomam in Ia, q.79,a.3, circa finem articuli corporis.

"Intellectus noster non reducitur in actum nisi per intelligibile in actu.

Atqui intelligibile in actu quoad quidditates naturales non invenitur in rebus.

Ergo oportet fieri. Ergo ex parte intellectus oportet ponere virtutem factivam et hanc vocamus intellectum agentem".(Caj. in Comm. S.Theol. l. c.)

Hoc argumentum simul ac primum statuatur necessitatem intellectus agentis ad productionem speciei. Nam quando dicitur "intellectus non reducitur in actum nisi...", hoc idem sonat ac "species non fit in intellectu nisi...". Speciem enim recipiendo intellectus, qui usque nunc in potentia tantum erat ad cognoscendum, fit proxime potens cognoscere, scil. "reducitur in actum(primum).

Nunc:

AD MAJOREM probandam scilicet "INTELLECTUS NOSTER NON REDUCITUR IN ACTUM NISI PER INTELLIGIBILEM ACTU".

In qua duo statuuntur : 1° intellectus noster in actum ~~reducitur~~ debet; 2° in actum reduci non potest nisi per intelligibilem ~~in actu~~.

Quantum ad primum, apparet ex passivitate intellectus, qui propter hoc vocatus est "possibilis". Intellectus enim sicut omnis virtus cognoscitiva, antequam eliciat operationem suam (cognoscitivam), prius actuari debet a ipso objecto quod cognosciturus est.

Quantum ad secundum, patet quod intellectus in actum reduci non potest nisi per objectum aptum ad hoc faciendum nempe per objectum ex eodem ordine immaterialitatis, scilicet per intelligibile, immo per objectum in actu intelligibile, nam "nihil reducitur de potentia in actum, nisi per aliquod ens actu" (S.Th. 1c.) "Sicut, addit S. Doctor sensus fit in actu per sensibile in actu."

Quid autem intelligitur per voces "intelligibile in actu", "sensibile in actu"? Hoc S.A. Lortie in suis "Elementis Philosophiae christianae vol. II, p. 270, bene explicat, dicens: "Facultas cognoscitiva est potentia passiva, s. t. potentia quae nata est recipere actionem objecti sui. Aliquid ergo dicitur actu cognoscibile, secundum quod de se potest agere in facultatem cognoscitivam et ipsam determinare ad cognoscendam. Quapropter illud dicitur actu sensibile quod potest agere in sensum et ipsum determinare ad sentiendum; illud vero dicitur actu intelligibile quod potest agere in intellectum et ipsum determinare ad intelligendum."

Circa exemplum a Sto. Thoma allatum, nempe "sicut sensus fit in actu per sensibile in actu", rectum videtur esse. Nam sensus, ut vidimus in introductione, reducitur in actu primo ad cognoscendum

ab ipso objecto sensibili prout invenitur in rerum natura. Ipsae enim qualitates sensibles, singulares, et concretæ, prout existunt in re corporea, possunt agere in organum sensus, mediantibus determinationibus physicis et chemicis et physiologicis, ac proinde etiam in ipsum sensum ab organo dependentem, propter proportionem quae rursus adest inter agens et passum. Objectum autem, ita de se aptum ad agendum in virtutem sensitivam ut haec transeat de potentia cognoscendi ad actum cognoscendi (actum primum) dicitur "sensibile in actu". Recte ideo S. Thomas ad illustrandum quod omne ens in potentia non reducitur in actu nisi per aliquod ens in actu, refert ad sensum quod non fit in actu nisi per sensibile in actu. Eodem modo, intellectus noster determinari debet ad cognoscendum, ab ipso objecto in actu intelligibile. Utrum autem, ad instar sensibilis ⁱⁿ actu, istud intelligibile in actu invenitur ut tale in natura rerum, statim determinabitur probando minorem.

AD MINOREM,

i.e.: INTELLIGIBILE IN ACTU QUOAD QUIDDITATES NATURALES
NON INVENIUNTUR IN REBUS"

Ubi duo probanda sunt:

1° quod "intelligibile" pro intellectu nostro, seu objectum proprium intellectus nostri, non sunt nisi "quidditates naturales" i.e. quidditates rerum materialium. 2° quod istud objectum, seu "intelligibile", non invenitur actu in rebus.

Quoad primum, demonstratum fuit in praecedenti argumento et ad locum istum remittimus; quoad secundum, sic procedimus. Intelligibile in actu supra definitum est "illud quod potest agere in intellectum et ipsum determinare ad intelligendum". Solum tamen immateriale potest agere in intellectum ut adsit proportio inter

agens et passum, nam intellectus, facultas spiritualis est. Ergo aliquid dicitur actu intelligibile secundum quod separatur a materia qua separatione ad immaterialitatem accedit. Atqui objectum intellectus nostri, secundum ~~mentem~~ statum, seu quidditates naturales, prout existunt in rebus non inveniuntur separatae a materia, ac proinde, non sunt in actu intelligibiles. Nam sicut dictum est in argumento praecedenti ad quod iterum remittimus, quidditates rerum naturalium, sive haec considerantur ut in rerum natura existentes, sive ut a phantasmatibus repraesentatae, non inveniuntur nisi conditionibus materiae affixae. Ergo non sunt intelligibiles in actu. Minor est recta.

AD CONCLUSIONEM.

1° quoad antecedens. (scilicet: **ERGO OPORTET FIERI**)

Patet. Nam cum intellectus noster, quatenus potentia passiva, in actum reduci debet per intelligibile in actu, si hoc non adest, oportet fieri. Ex hoc enim quod quidditates naturales prout extra intellectum existunt, non sunt intelligibiles in actu, non concludere licet eas esse omnino inintelligibiles. Sunt tantummodo intelligibiles in potentia et possunt fieri actu intelligibiles. Etenim in rebus materialibus, quidditas seu natura realiter distinguitur a principiis individuantibus et conditionibus materialibus, ideoque ab ipsis separari potest data causa sufficiente, -ac proinde fieri in actu intelligibilis.

2° quoad consequens (i.e. **ERGO EX PARTE INTELLECTUS OPORTET PONERE VIRTUTEM FACTIVAM ET HANC VOCAMUS INTELLECTUM AGENTEM**)

Quod oporteat ponere aliquem "virtutem factivam" sequitur antecedens. Nam cum intelligibile "oportet fieri" in actu,

evidenter requiritur aliqua agens ad hoc faciendum, seu "virtus factiva". Quod adhuc haec virtus debeat esse "ex parte intellectus" patet etiam, propter proportionem quae haberi debet inter causam et effectum, nam agitur de intelligibili in actu faciundo, quod est effectus spiritualis. Ergo requiritur causa spiritualis et factiva seu activa, nempe intellectus agens. Neque obijciatur quod intellectus possibilis qui est spiritualis sufficit ad hunc effectum spirituale producendum. Respondemus cum Ferrariense: "Non sufficit ponere intellectum possibilem tamquam agens proprium. Tum quia intellectus possibilis non est potentia activa, sed passiva, quae indiget ab aliquo agente perfici ad hoc ut intellectionem eliciat. - Tum quia intelligere nostrum coexigit facere intelligibilia in actu: cum propter hoc anima nostra sit unita corpori, ut per sensus, rerum materialium cognitionem accipiat, faciundo per abstractionem a materialibus conditionibus intelligibilia in potentia esse actu intelligibilia. Hoc autem non potest intellectus possibilis^{qui} est potentia passiva. - Ideo praeter intellectum possibilem quo "anima potest omnia fieri", necesse est esse in anima intellectum agentem, quo "possit omnia materialia facere actu intelligibilia." (Comm. I in II Contra Gent. c. 76. no XIII, 3.)

3- SECUNDUM ARGUMENTUM (INDIRECTE)

PRAENOTA:- In duobus praecedentibus argumentis, vel potius in unico hoc argumento duplici modo exposito, directe probata est necessitas intellectus agentis, primo ad sublevandum objectum proprium intellectus nostri ut possit in eo producere speciem impressam, secundo quod ad aspectu tantum differt ab altero, ad factionem intelligibilis in actu. Nunc affertur aliud argumentum quod non directe, scilicet, in se, probat necessitatem intellectus agentis ad speciem efficiendam, sed indirecte, nempe per exclusionem inquirendo omnes hypotheses possibles et postea rejiciendo quascumque non haberent omnia requisita ad essendum causam efficientem adaequatam specierum intelligibilium impressarum; rejiciendo etiam quamquam hypothesim statueret causam habentem plus quam stricte requisita. Nam in rationali inquisitione de causa alicujus, oportet concludere ad causam minimam, i.e. ad causam quae sit stricte explicativam, et nihil amplius. Post talem selectionem, si remaneat aliquae hypothesis, ista non potest non esse causa quaesita. Argumentum istud proponitur a P. Remer S.J. in sua "Summa Philosophiae scholasticae" (editio quarta a P. Geny revisa et aucta) vol. 5, p118.

ARGUMENTUM: Causa specierum intelligibilium est aut aliquid extra animam, aut aliquid animae. Si primum, aut res sensibilis, aut aliquid immateriale, et hoc aut solum intelligibile, aut Intellectus aliquis superior; si secundum, aut facultas organica, nempe sensus, aut facultas inorganica, nempe aut ipse intellectus formaliter intelligens, aut alia facultas, et

haec quidem aut non concurrente, aut concurrente sensu.

Atqui excludendae sunt omnes hypotheses praeter ultimam.

Ergo haec ultima est vera i.e. admittenda est in anima intellectiva facultas immaterialis activa, intellectus agens, quae cum concursu sensus scilicet phantasmatis, speciem intelligibilem impressam producit.

MAJOR enumerat omnes hypotheses possibles. Constat nam dichotomice procedit per viam contradictionis.

MINOR PROBATUR PER PARTES°

I) Causae adaequatae specierum NON EST ALIQUID EXTRA ANIMAM?

A) Non est res sensibilis

Ut posuit Democritus qui cum intellectus non distinguisset a sensu neque species sensibiles ab intelligibilibus, non aliud principium a quo hae species efficerentur ponebat quam ipsas res sensibiles externas. Ad istam theoriā etiam reduci possunt diversae formae sensualismi moderni.

Sed, spiritualitate intellectus agnita, patet quod res sensibilis, utpote materialis et singularis, non potest agere in intellectu inorganico et ibi efficere speciem immaterialem et universalem qualis est species intelligibilis impressa, ut jam scimus ex praecedentibus. Ergo.

B) Neque, inter entia immaterialia.

1) SOLUM INTELLIGIBILE.

Nōc intelligibile posset esse

1° aut quidditas rei materialis secundum theoriā nostrā, 2° aut formae vel ideae per se subsistentes, in rerum natura, ut posuit Plato, 3° aut rationes aeternae, in Deo subsistentes, ut voluerunt veteres nonnulli qui conati sunt syste-

ma Platonium consiliari cum fide catholica, 4?
aut ipse Deus intuitive cognitus, vel saltem ideae archetypae rerum in mente divina immediate perceptae, ut contendunt moderni Ontologistae. Sed ex his omnibus propositis intelligibilibus, primum non est actu intelligibile; secundum, figmentum mentis, est; tertium et quartum non sunt intelligibilia quoad nos.

Quoad quidditates rerum materialium, patet ex dictis in praecedenti argumento, eas non inveniri extra intellectum nisi cum conditionibus materiali involutas, ac proinde non esse ex se solis aptas ad actuandum intellectum possibilem ibi efficiendo species impressas.

Quoad ideae subsistentes Platonis non est opus demonstrare tales formas non realiter existere. Ceterum, Plato non dixit species effluere ex eis quandoque intelligimus, sed inesse in anima, per quamdam participationem ex eis, ante unionem cum corpore ac proinde cognitionem non esse nisi reminiscantiam. Unde opinio ejus ad innatismum reducitur.

Ex contra rationes aeternae seu ideae archetypae rerum realiter existunt in mente Dei, licet ab eo non distinguuntur nisi ratione. Sed nullum habemus in hac vita, nec naturaliter habere possumus intuitionem Dei, ut patet tum experientia tum ratione, ex defectu proportionis intellectus finiti ad ens infinitum; ergo neque intuitionem formarum exemplarum. Unde nec rationes aeternae nec ipsa Deus, intuitive cognitus, possunt gignere species in intellectu nostro, quia sunt supra modum essendi objecti proprii intellectus nostri in statu praesenti.

~~2) SCILICET~~

2) INTELLECTUS ALIQUIS SUPERIOR.

Et iste intellectus superior iterum posset esse VEL aliqua substantia separata, seu ratio universalis, Intellec-

tum Agentam separatum et unicum pro omnibus hominibus, sicut posuerunt Avicenna Averroesque, VEL ipse Deus, aut effective infundens species quotiescumque homo intelligit, sicut voluerunt ii veteres scolastici qui christianum colorem cupiebant dare systemati averroënsi, aut infundans eas ab initio eas concreando cum ipsa facultate intellectiva, ut contenderunt, in globo, faventes idearum innatarum.

Sed nulla ex his theoriis dat veram originem specierum in nobis, propter istam communem rationem quod omnes nituntur in falso fundamento, nempe in negatione substantialis unionis animae cum corpore, et propter multas alias rationes pro unaquaque, ex quibus nonnullae nunc dantur.

A. Quoad Intellectum agentem separatum:- Actio hujusmodi substantiae separatae duplici modo haberi posset: vel infundit species intelligibiles a sensibus abstractas et connotantes objecta sensibilia, vel non abstractas a sensibus sed pure participatas a spiritualibus substantiis. Hoc secundum nullomodo dici potest cum satis constet nos non intelligere pure spiritualia nisi ad modum quidditatis rei materialis. Quantum ad primum, certe sufficeret, sed non magis est accipiendum, cum esset causa excedens. Atqui, ut diximus, in rationali inquisitione alicujus causae semper oportet concludere ad causam minimam. Omnia quae excedunt stricte requisita, ut aliquid imaginarium, existimanda sunt. Et probatur quod sit causa excedens tum quia est contra naturam, tum propter consequentias. Nam natura non deficit in necessariis. Unde non est connaturale hominibus ut ad proprias operationes non habent virtutes proprias quibus possunt operari cum voluerint. Ergo non esset connaturale animae dependere ab intellectu agente separato in acquisitione specierum et consequenter in ipsa intellectione,

quia tunc homo non haberet ex se unde posset facultatem suam nobilissimam exercere. Sic homo non esset dominus sui intelligere, nec sui volere, quod sequitur intellectionem nec omnium aliarum actionum quae ex illis dependent.

b.

b. Quoad Deum infundentem species in intellectu nostro, quandocumque intelligimus, vel a sensilibus abstractas, vel non, sicut Intellectum agnitem separatum: - Licet minus falsa quam praecedenti, quia realiter existit Deus, dum e contra Intellectus agens separatus omnino fabulosus est, haec theoria pariter est rejicienda et propter easdem rationes. Non negatur tamen Deum, utpote Actum purum et Primum esse, omnia moventem, esse causam efficientem remotam specierum; negatur tantum, Illum esse principium proximum et immediatum.

c. Quoad Deum infundentem species ab initio (systema idearum innatarum): - Quod hoc modo in nobis originarentur species, est contra naturam, nam tunc unio animae cum corpore esset frustranea et per accidens, contra conscientiam et experientiam quae testat nos ab initio nihil scire (intellectus in potentia: tabula rasa), deinde quaedam cognoscere (intellectus in actu) et tandem scita conservare (intellectus in habitu). Si vero species essent innatae, intellectus esset statim ab initio vel in habitu (et hoc ante ullam cognitionem: quod repugnat), vel in actu, cum per species actuetur intellectus ad intelligendum. Ergo. Praeterea innatismum est contra objectivitatem cognitionis nostrae, nam tunc nullus nexus necessarius habetur amplius inter ideas et res externas, et labitur in idealismum et subjectivismum. Quamobrem species certe non infunduntur ab initio in intellectu.

Sic rejici debent omnes hypotheses statuantes, ut causam specierum, aliquid extra animam. Nunc examinantur possibiles causae

intra animam sistentes.

II)- Inter hypotheticas causas INTRA ANIMAM SISTENTES

A- FACULTAS ORGANICA, ~~nampe~~ SENSUS, non potest producere speciem.

Nam sensus utpote ab organo materiali dependens in esse et agere non potest operari in facultate spirituali et ibi p producere speciem ~~universalem~~. Nisi transeat in ministrum alterius, nam "constat, ut dicit Cajetanus, quod eadem vis aliquid potest sub alterius auctoritate quod sola nonposset" (In S.Theol. Ia, q. 79, a.3, V in f.) De se sola autem, ~~sensus~~ impotens ~~est~~. Quod valet itemque pro phantasia insuis elaboratissimis schematibus, quae licet quamdam apparentiam universalitatis habeant, concretas singulares imagines quippe remanent, omnino improporcionatae per seipsas ad species producendas.

B- Inter facultates anorganicas.

1) IPSE INTELLECTUS FORMALITER INTELLIGENS NON EST VERA CAUSA SPECIERUM.

Est enim receptivus specierum et non productivus. Est ~~receptivus~~, nam propria ejus actio est cognitio, at haec non fit nisi virtus cognoscitiva sit determinata seu actuata per speciem, ut dictum est in ~~introductione~~. Unde intellectus est in potentia respectu specierum, ~~sed~~ receptivus earum. Ergo non potest producere speciem, 1° quia producere est agere; atqui intellectus cognoscitivus non agit nisi post receptionem ~~speciei~~; 2° quia producere est de se actio transiens; atqui intellectus cognoscitivi actio est per se immanens, (transiens per accidens tantum in quantum producit speciem expressam).

2) Exclusa voluntate, quia evidens est illam non esse ordinatam ad species ~~producendas~~, una tantum hypothesis remanet:

causa specierum intelligibilium impressarum est QUAEDAM ALIA FACULTAS ANIMAE, quae facultas debet esse primo ANORGANICA, nam facultas organica supra rejecta est, secundo ACTIVA, nam propter ejus passivitatem intellectus cognoscitivus etiam repudiatus est. Haec autem altera facultas posset iterum agere vel CONCURRENTI SENSU, vel NON CONCURRENTI.

a) Sed rejiciendum est hoc ultimum, nam si facultas illa speciem efficeret ex seipsa sola, i.e. sine ullo concursu sensuum per quos solum anima corpori unita attingere potest res materiales externas, cognitio nostra nulla objectivitatem haberet. Praeterea est factum positivum quem constanter experimur -ut in primo argumento expositum est- quod sensationem (phantasmata) habet concursum activum ad intellectionem nostram. At nulla ratio hujus facti redderetur si facultas de qua nunc agitur sine concursu sensus (i.e. phantasmatis) ageret. Ergo pariter rejicienda est hypothesis illa.

b) Unde tantum remanet haec ultima nempe: CAUSA ADAEQUATA SPECIERUM INTELLIGIBILium IMPRESSARUM EST FACULTAS INORGANICA ET ACTIVA ANIMAE (HANC VOCAMUS INTELLECTUM AGENTEM), CONCURRENTI SENSU (PHANTASIA) AGENS. Quod haec non sit rejicienda, nunc debemus probare.

Non sit rejicienda hypothesis quae explicat originem specierum modo conformi cum factibus experientiae, et connaturali ad naturam hominis et quae objectivitatem cognitionis nostrae intellectualis salvat. Atqui talis est haec ultima hypothesis, ac proinde non est rejicienda. Probatur per partes.

1° Theoria ista est omnino CONFORMIS CUM FACTIBUS EXPERIENTIAE. Experientia testat primo, nos imprimis apprehendere realitates materiales externas secundum solam accidentalem suam appa-

rentiam, scilicet concretam ac singularem; secundo, illas realitates materiales nos deinde cognoscere quidditative i.e. non concrete, sed tamquam abstractas ab iis quae in rerum natura iis accidunt neque ad earum essentiam pertinent. Ex quo concluditur quod cognitio humana incipit a cognitione sensitiva quae intellectualiter elaboratur.

Etenim sensus, quatenus est facultas organica, potest recipere impressiones corporeorum agentium, et sic percipere aliquomodo dispositiones externas materialium substantiarum. Praeterea, quatenus est facultas ipsius hominis et radicatur in eadem anima ac intellectus, potest illi reddere praesens quod percipit ex corporibus. Sed non valet ultra hanc imaginativam representationem arere, neque ex se solo concretionem suae cognitionis solvere. Ut objectum ab hac sensitiva cognitione propositum fit quidditative cognoscibile, requiritur facultas anorganica activa qua elaboretur. Per speciem sic productam intellectus actuatur ad agendum et cognoscit quidditative realitates materiales.

Ergo omnino conformis cum factibus experientiae est haec ultima hypothesis, statuens causam adaequatam specierum esse facultate anorganicam activam animae concurrente sensu operantem.

2° Est praeterea CONNATURALIS AD NATURAM HOMINIS. Statuit enim theoria ista causam adaequatam speciei esse nec solam facultatem spiritualem activam nec solam imaginem sensilem, sed associationem utriusque. Sic species habet causam humanam causam psycho-physicam, sicut natura hominis quae ex duobus elementis componitur, nempe materia et forma, corpore et anima. Utrumque natum est ad uniendum et sese complendum ut efficiatur unus terminus i.e. homo; ita modo tamen diverso facultas spiritualis et

imago sensibilis ad unicum effectum: speciem.

3° Tandem hypothesis ista OBJECTIVITATEM COGNITIONIS NOSTRAE INTELLECTUALIS SALVAT. Etenim salvabitur objectivitas idearum nostrarum si species in intellectu impressa rem foris exacte, / vere, et adaequate repraesentat, nam eum intellectus non cognoscit nisi prae-actuatus per speciem, talis species, talis erit intellectio. Sed mediantibus facultate anorganica activa et sensu simul concurrente, species fit perfecta et vera similitudo externi objecti. Sensus enim, utpote facultates passivae, nec creant nec modificant objectam eorum, sed primus ut est in se agit in sensibus externis et per eos in phantasia (lato sensu semper) quae sic actuata et determinata ad agendum producit in seipsa perfectam similitudinem rei externae. Deinde, facultas anorganica activa mediantibus his objectivis datis a sensibus traditis producit speciem intelligibilem impressam quae est item perfecta rei externae similitudo, licet ordinis spiritualis et universalis. Unde quidem, quod imprimat speciem in intellectu nostro, non est nisi ipsum objectum foris, immaterialisatum per facultatem activam concurrente phantasia. Ergo salvatur objectivitas idearum nostrarum.

Ergo non sit rejicienda haec ultima hypothesis statuens causam adaequatam specierum esse facultatem inorganicam activam animae cum concursu sensus agentem.

Ergo tota minor nempe "EXCLUDENDAE SUNT OMNES HYPOTHESES PRAETER ULTIMAM", videtur esse recta, ac proinde logice sequitur ~~et~~ conclusio generalis "ERGO HAEC ULTIMA EST VERA". Nam cum enumeratae sint omnes possibiles hypotheses, et cum debuerimus agnoscere nullam ex eis admitti posse ut causam specierum, praeter ultimam in qua nihil inconveniens inventum est, haec ultima non potest non dare veram causam specierum intelligibilium. Ergo admittenda est

in anima rationali ut factiva speciei intelligibilis in intellectu possibili impressae, facultas anorganica activa, intellectus agens, cum concursu imaginis sensibilis operans.

Hic, sicut ac post argumentum primum, insidet dubitatio: sed quomodo facultas spiritualis, etiamsi activa potest cum imagine materiali concurrere ad unicum effectum spirituales produendum? Responsio ad hoc, qua non parvum solidificabitur positio nostra erga existentiam intellectus agentis, constituet hujus theses alteram partem quam mox tractabimus, scilicet immediate post sequens corollarium.

III- Deducitur corollarium.

INTELLECTUS AGENS ET INTELLECTUS POSSIBILIS SUNT
FACULTATES REALITER INTER SE DISTINCTAE .

Scholastici nonnulli, licet admittant necesse esse in anima rationali aliqua virtus activa, quam aliqui solum ex eis sicut ac nos intellectum agentem vocant, non tamen judicant hanc exigere facultatem realiter distinctam ab intellectu possibili, sed esse tantum aliud munus ejusdem intellectus. Unde pro eis, intellectus agens et intellectus possibilis non sunt nisi diversa ejusdem facultatis munia. Idem intellectus dicitur agens in quantum producit speciem impressam, et possibilis quatenus per speciem actuatus elicit intellectionem et producit verbum. Unde non datur nisi distinctio rationis. Hanc opinionem faverunt multi.

Scotistae, et Suarez, Vasques, Arriaga, Lossada et pauci alii quorum nonnulli etiam inter thomistas reperti sunt.

Sed contra, habetur auctoritas Aquinatis et fere omnium philosophorum, et ratio. Ex D. Thoma, sufficit citare quod dixit PRIMO in Ia, q.79, a.10 - "Quandoque ponuntur quatuor intellectus, scilicet intellectum agentem, possibilem, et in habitu, et adeptum, quorum quatuor intellectus agens et possibilis sunt diversae potentiae, sicut et in omnibus est alia potentia activa, et passiva; alia vero tria distinguuntur secundum tres status intellectus possibilis," et SECUNDO in II Sent., dist.17, q.2, a.1. - "Nec iterum dico, haec duo, scilicet intellectum agentem et possibilem esse unam potentiam diversimode nominatam secundum diversas operationes: quia quaecumque operationes reducuntur in diversa principia, impossibile est eas reducere in eandem potentiam. Cum autem recipere speciem intellectas, quod est intellectus possibilis, et facere eas intelligibiles, quod est intellectus agentis, non possint secundum idem convenire; sed recipere convenit alicui secundum quod est in potentia, et facere secundum quod est in actu, impossibile est agentem et possibilem non esse diversas potentias."

Et ratione nunc probatur, Potentiae animae specificantur per actus ad quos essentialiter ordinantur ita ut una eademque potentia elicere non potest nisi unum eundemque actum adaequatum, vel si plures actus eae tribuuntur, debent illi convenire sub aliqua ratione communi ad quam, utpote ad actum adaequatum et specificativum, ordinaretur potentia. Intellectus autem noster vel ordinatur ad cognitionem ita ut haec sit ejus adaequatus actus et tunc manifestum est intellectum agentem esse distinctam facultatem, cum ejus operatio est facere speciem, quum intellectus pos-

sibilis non potest nisi ~~elicere~~ cognitionem ad quam praerequiri-
tur informatio per speciem quae proinde produci/ debet ante co-
gnitionem; vel ordinatur ad duplicem actum, nempe factionem specie:
et cognitionem per speciem, qui ut attribui possint uni eidemque
facultati debent habere aliquam rationem communem sub qua conve-
niant illi duo actus, et a qua specificeretur illa unica potentia
habens eos. Facere autem species sine cognitione, et elicere co-
gnitionem per species, ut dicit J.a Sto Thomas (Phil. nat.IIIa,
Q.X, art. 1) "non conveniunt in aliqua ratione communi, constitu-
ente unam potentiam, sed sunt rationes ita distantes quod ex se
sufficiunt fundare distinctas potentias".

Absque dubio conveniunt in ratione spiritualitatis, sed
hoc non sufficit ad illas assimilandas in unica facultate, secus
voluntas ipsa non differret quoad rem ab intellectu. Neque suffi-
cit dicere quod istae duae actiones conveniunt in hoc quod uterque
respicit cognitionem diverso verum modo, una causaliter, faciendo
speciem, altera formaliter, ipsam intellectionem eliciendo, sicut
dicit S.Thomas quod "ad unum intelligere oportet quod utraque is-
tarum operationum concurrat." QQ.DD.De Anim.A.4, ad 8) Nam secus,
possemus iterum decere voluntatem et intellectum esse eandem po-
tentiam. Etenim velle etiam se habet ordine quodam, nempe, ut con-
secutivum, ad cognoscere.

Verius est igitur dicere quod rationes faciendi species
sine cognitione, et eliciendi cognitionem per species, ita sunt
distantes ut exigant potentias in uno intrinseco constitutivo di-
versas. Prima enim ratio supponit essentialem activitatem, respectu
speciei, altera autem, cum cognitio/ non sit possibilis antequam
intellectus recipiat speciem supponit receptivitatem seu passivi-
tatem respectu ejusdem. Sed ratio activi, et passivi, sufficit ad

distinguendas potentias, sunt enim rationes maxime diversae, primae quidem differentiae entis. Quare S. Thomas, in primis verbis supra citatis, distinguit intellectum agentem ab intellectu possibili quia altera est potentia activa, altera, potentia passiva, et aliis divisiones intellectus non admittit.

Quantum autem ad difficultatem quam aliqui sibi fingunt ex hoc quod intellectus agens et intellectus possibilis eundem objectum habent, nempe speciem intelligibilem impressam, respondetur cum Cajetano post S. Thomam, qui implicite idem dixit, quod "diversitas potentiarum aut est ex diversitate formali objecti; aut ex diverso genere attingendi idem objectum formaliter " (in Ia. q.79, art.7 no I)

Patet autem diversitatem intellectuum non sumendam esse ex prima radice, scilicet ex diversitate objecti, sed ex secunda scilicet ex diversitate actus et potentiae. Ratio est "quia ad idem objectum alia est ratio agentis, alia patientis, quia illud ut actus ad potentiam, hoc ut potentia ad actum se habet (Cajetanus l.c.) Sed intellectus agens se habet ad speciem ut agens, intellectus autem possibilis ut patiens; ergo realiter inter se distinguuntur. Ad rem, S. Thomas ait : Diversificatur potentia intellectus agentis, et intellectus possibilis; quia respectu ejusdem objecti, aliud principium oportet esse potentiam activam, quae facit objectum esse in actu; et aliud potentiam passivam, quae movetur ab objecto in actu existente. Et sic potentia activa comparatur ad suum objectum, ut ens in actu ad ens in potentia; potentia autem passiva comparatur ad suum objectum e contrario, ut ens in potentia ad ens actu" (Ia, q.79, art.7)

Nota denique istam rationem distinguendi ut facultates intellectum agentem et intellectum possibilem ex genere diverso attingendi speciem, revocari potest distinctioni seu specificationi

SECUNDA PARS THESEOS.

QUOMODO OPERETUR INTELLECTUS AGENS.

I. - Status quaestionis

1-INTRODUCTIO:- Circa operationem intellectus agentis cum phantas mate concurrente ad productionem speciei intellegibilis impressae seu ad faciendum in hoc specie objectum intellectus possibilis aptum (intelligibile in actu) ad hunc informandum, multiplices dantur sententiae philosophorum. Immo usque ad centum septuaginta quinque Suarezium dicitur eas numeravisse. Exinde confirmatur multas difficultates inesse in explicatione actionis intellectus agentis. Est etiam propter illas quod multi philosophi extra scholam scolasticam nolunt admittere intellectum agentem, quia dijudicant actionem ejus esse inexplicabilem. Quapropter duplex intendimus in hac secunda parte theseos: primo, ut inter tam multas sententias a scholasticis allatas determinetur quanam, melius solvat difficultates; secundo, ut adversariis intellectus agentis, demonstretur operationem ejus esse quippe explicabilem. ~~ut, inter tam~~

Ex altera thesēos parte jam sciūmus intellectum agentem agere per modum causae efficientis. Satis enim hoc patet ex ipsa ratione, nempe efficientiam speciei impressae, propter quam ponitur. Evidens est etiam quod agere debet ut causa efficiens principalis. Ideoque nulla datur difficultas ex hujus parte, nec quisquam hoc neget eorum qui intellectum agentem agnoscunt in anima hominis.

Item, quoad phantasma jam manifestum est quod habet quandam causalitatem in specie efficienda. Patet illud, tam experimentaliter quam rationaliter Ex experientia,

quia nunquam datur intellectio quin phantasma quoddam sit praesens et laesa phantasia aut impedita sensatione, intellectus statim impeditur in cognoscendo. Ex ratione, quia intellectus agens non habet in se species intelligibiles omnium rerum ac proinde non potest eas gignere in intellectu possibili nisi concurrant phantasmata licet sensiliter. Idcirco quod phantasma quocumque modo causaliter concurrat ad productionem speciei intelligibilis impressae, extra omnem controversiam positum est.

Sed ad praecise determinandum in quonam genere causarum ponendum esse, mira est dissensio. Pro aliquibus, phantasma non est nisi causa materialis, pro caeteris reapse est causa efficiens, sed coordinata intellectui agenti pro nonnullis, et ei subordinata seu causa instrumentalis pro plerisque. Etiam tunc dividuntur philosophi, alii explicantes hanc causalitatem instrumentalem phantasmatis per assistentiam extrinsecam, alii per intrinsecam elevationem, sive radicalem, sive transeuntem.

Hanc ultimam opinionem amplectamur. Quare explicabimus primo loco omnia quae spectant causam instrumentalem in se consideratam; deinde exponabuntur opiniones diversae quas hic supra delineamus; tandem probabimus quod intellectum agentem et phantasma ad productionem speciei impressae sunt verae causae efficientes. altera principalis, altera instrumentalis proprie dicta.

2-CAUSA PRINCIPALIS ET CAUSA INSTRUMENTALIS.

Non videtur possibile de causa efficiendi principali et instrumentali tractare, nisi prius sciatur quid sit causa, et quid causa efficiens. Unde antequam specialiter loquamur de ipso instrumento, oportet primo videre, modo generaliori et tam bre-

viterquam possibile, quid, quotuplex, et quale sit causa, idemque de causa efficiente.

I)- In genere

A) DE CAUSA

QUID SIT CAUSA:- Causa est quoddam principium. Hoc est ad illam sicut genus ad speciem. Quapropter de principio primo quaeritur et hac inquisitione ad notionem adaequatam causae manuducimur. Principium, secundum S.Thomam, est "id a quo aliquid procedit quocumque modo". Secundum diversos modos "processionis", habetur principium logicum, prout ab ipso procedit aliqua cognitio, principium reale seu ontologicum, prout ab ipso procedit aliquod ens reale. Quare Aristoteles definivit principium "id unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur". Causa est istud principium unde aliquid procedit SECUNDUM REM, sed hoc debet haberi POSITIVE, nam principium negativum (privatio) non est causa; SECUNDUM ESSE, nam principium potest esse reale et positivum, et tamen non influere in esse rei, et tunc non est causa: punctum a quo linea realiter et positive procedit non est causa ejus quia non tribuit ei esse; cum DEPENDENTIA, nam datur principium influens esse sine dependentia ut Pater in divinis personis respectu Filii (theologi docent), et hoc non potest esse causa: Pater non est causa Filii. Solum igitur potest esse causa ISTUD PRINCIPIUM POSITIVE INFLUENS ESSE CUM REALI DEPENDENTIA AB EO. Ac proinde J. A Sto Thoma definivit causam "principium alicujus per modum influxus seu derivationis, ex qua natum est aliquid consequi secundum dependentiam in esse", et brevius P.Gredt: "principium positivum, unde aliquid procedit realiter secundum dependentiam in esse."

Differt causa a conditione et occasione, quatenus illae non influit in esse. Nam conditio requiritur ad actionem agentis, non vero ad ipsam causatum ut tale; occasio nequidem requiritur ad productionem effectus. Est enim mera opportunitas agendi. Effectus et potest haberi sine illa, et potest non haberi cum illa.

QUOTUPLEX:- Quadruplex est causa secundum primam immediatamque divisionem. Causae enim formale constitutivum est "per se influere esse in aliud". Hoc autem fieri potest quatuor modis. Actio enim ex qua producitur effectus influit in esse effectus: id a quo aliquid efficitur, dicitur CAUSA EFFICIENS. Subjectum ex quo, vel in quo aliquid fit, influit in esse istius, sustentando vel recipiendo perfectionem qua aliquid constituitur in determinata specie: sic habetur CAUSA MATERIALIS. Haec perfectio seu forma QUA subjectum de se indifferens determinatur ad talem naturam et servatur in illa, influit in esse determinando subjectum seu materiam: sic datur CAUSA FORMALIS. Tandem id cuius gratia aliquid fit ab agente influit in operatione agentis et per operationem in esse effectus ejus: haec constituit CAUSAM FINALEM. Quatuor ergo sunt causae alicujus rei, et non pluries quia istae sufficiunt ad cujuscumque rei constitutionem in esse, et quia ad istas, omnes reduci possunt: sic, v.g. Causa exemplaris, id ad cuius similitudinem aliquid fit, reducitur vel ad causam efficientem, vel formalem, vel finalem.

QUALE SIT CAUSA:- Tantum dicetur nomen causae non esse univocum sed analogum, nam ut ex dictis patet, causalitas diversarum causarum diversa est. CAUSA FINALIS est in ordine intentionis et habetur ante omnes alias quare dicitur "Causa causarum". Principalitas tamen causalitatis non ei attribuitur sed causae efficienti quia haec est prima in ordine executione et superior materiae et formae quae ut uniantur ad efformandum causatum indigent actione causae efficienti.

B)- DE CAUSA EFFICIENTI.

De causa efficiēti ad quam pertinent causae principalis et instrumentalis, breviter dicetur quid sit et in actu primo, et in actu secundo, quod duplex, et quale sit respectu ejus effectus.

QUID SIT. - Diximus causam efficientem esse "id a quo aliquid efficitur". Accuratius nunc asserimus eam efficere aliquam rem uniendo materiam et formam cum intentione finis. Unio materiae et formae non fit sine aliqua mutatione vel motu qui cessat attacto fine. Quare Aristoteles definivit causam efficientem: "id unde primum est principium permutationis et quietis" (V Met. text.1013 b), et brevius in II Phys.3, :- "id a quo primo profluit motus" (in ordine executionis, et secundum motum vel praedicamentalem vel metaphysicum - in casu creationis). Ex hoc sequitur quod actio est causalitas propria et formalis causae efficientis. Sed nullum agit quin prius sit potens agere. Ergo primo consideranda est causa efficiens tamquam "id quod agit"; deinde quatenus constituetur principium agendi (causa efficiens in actu primo); denique quatenus actu agit (C. eff. in actu secundo).

1°- Id quod agit seu principium cui attribuuntur actiones, aut principium "quod" actionum est ipsum suppositum, seu persona pro homine. - "Actiones sunt suppositorum".

2°- In actu primo: principium "Quo" causa efficiens constituitur potens agere seu in actu primo vel est remotum, sive totale sive parziale, vel proximum.

Principium remotum totale quo aliquid operatur est idem ac id, quo suppositum constituitur, in specie sua, nempe natura. "Quamvis operatio attribuitur hypostasi ut operanti, dicit D.Thomas, tamen attribuitur naturae ut operationis principio" (22 De Verit.

a.1 ad 3). Natura autem est a forma i.e. a forma substantiali. Ideo principium quo parziale (remotum) operationis est forma substantialis seu anima, in viventibus. Sed nulla substantia creata est immediate operativa. Unde, in omni creato agente, requiritur ut PRINCIPIUM QUO PROXIMUM, realiter distinctum tum a natura, tum a forma, quaedam potentia, aut facultas, aut virtus agendi, qua mediante operetur; et tot erunt potentiae agendi quam dantur actus formaliter diversi. Illae virtutes, sicut omnia accidentia propria oriuntur ex substantia non per aliquam efficientiam..tunc enim substantia esset immediate operativa..sed per quandam emanationem, in hoc sensu quod naturaliter sequuntur substantiam permodum naturalis resultantiae. Unde forma substantialis non solum est id, quo est substantia, sed etiam id, quo sunt potentiae(et accidentia omnia propria). Ac proinde potentiae non solum agunt in virtute propria sed etiam in virtute formae substantialis; itaque intelligitur quomodo possunt attingere substantiam licet proprie non sint nisi accidentia; et quare dicuntur QUASI-INSTRUMENTA formae substantialis, instrumenta quia agunt in virtute substantiae, , quasi instrumenta quia non recipiunt entitatem vialem superadditam, sed per seipsas sunt virtutes formae substantialis.

3°- In actu secundo: Hic consideratur ipsum exercitium causalitatis causae efficientis, seu ipsa actio, aut operatio ejus. Notandum est imprimis quod actio de qua hic agitur non est actio immanens - Haec enim non est causalitas, sed qualitas - sed actio transiens, quae definitur: "actus secundus quo causa efficiens est actu causans", et sic denominatur quia producendo effectum transit extra se. Quare actio aliquo modo est in agente, aliquo modo in patiente: in illo, tamquam actualitas seu actus ultimus potentiae agendi; in hoc ultimo, si consideratur ut motus, motus enim est "fieri"effectus,,

effectus autem est in passo, nam "fieri" effectus est transmutatio passi. Id per quod subjectum constituitur actu recipiens effectum ab agente, dicitur passio. Est accidens sicut actio et, ut patet, realiter distinguitur a motu. Sicut actio est productio effectus, seu exercitium causalitatis agentis, ita passio est receptio effectus seu exercitium passivitatis patientis. (Gredt, 281).

De conditionibus requisitis ad causalitatem efficientem exercendam, tantum nominantur: 1° contactus - sive quantitativus, sive virtutis- inter agens et passum: "repugnat actio in distans"; 2° concursus divinus tum ante actionem, ad applicandam creaturam ad agendum (concursus praevius), tum simul cum creatura, ad influendum in esse actionis et effectus (concursus simultaneus).

QUOTUPLEX SIT CAUSA EFFICIENS. Respectu effectus ejus, causa efficiens dividitur in causa per se, et causa per accidens, secundum quod ordinatur vel non ad effectum quem producit v.g. effossio terrae est causa per se sepulchri, et causa per accidens inventionis thesauri.

Ratione subordinationis habentur: 1° causa prima, nempe Deus, quae a nulla dependet et cujus effectus proprius est ens ut ens, et causa secunda, i.e. omne agens creatum, quae a prima pendet et non efficit proprie nisi taleitatem entis; 2° causa principalis quae agit virtute propria, et causa instrumentalis cujus proprium est agere ministerialiter, ut mota. Adverte quod causa tum prima, tum secunda, potest sibi subordinare causam instrumentalem.

Secundum quod attingit totum effectum, vel partem tantum, causa efficiens dicitur totalis, vel partialis; et iterum, prout nata est producere plures effectus specie diversos, vel limitatur ad unicum effectum speciem sibi similem, causa dividitur in universa-

li (seu aequivoca, ~~aut~~ aequivoca, aut etiam analogia) et particulari (seu univoca). Nota quod causa instrumentalis, virtute sua propria, et causa partialis, uterque producant partem tantum effectus totalis sed diverso modo: haec, coordinata alteri causae, illa, subordinata. Dantur praeterea aliae nonnullae divisiones causae efficientis, de quibus tamen tacimus, cum nihil afferant ad thesim nostram.

QUALE SIT CAUSA EFFICIENS RESPECTU EJUS EFFECTUS:- Nota : quae hic dicuntur, praeter nonnulla, primo applicari possunt causae ut sic; ergo, a fortiori, causae efficienti.- Omnia effectus a causa sua dependet, immo dependet in esse. Realis autem dependentia fundat realem distinctionem. Ideo effectus est ens reale, entitative distinctum a sua causa. Exinde sequitur quod causa praecedit effectum non semper prioritatem temporis, ~~sed saltem prioritatem temporis,~~ sed saltem prioritatem naturae. Non datur effectus sine causa. Tamen effectui unico correspondet unica causa adaequata, nam effectus suae causae proportionatur. Rursus, quidquid invenitur in effectum jam est aliquomodo in causa, vel secundum eandem rationem, ~~vel secundum~~ si causa est aequae perfecta, vel altioris ratione, si est perfectior suo effectui. Notandum est hoc etiam valere pro causa instrumentali in qua vere inest perfectio totius effectus, non ut sua, sed ut transeunter communicata; non autem valet pro causa per accidens. In hoc sensu intelligi debet axioma: "Omne agens agit sibi simile". Denique patet ex his, causam entitative consideratam non esse semper perfectiorem suo effectui; sed formaliter, nempe ut causam, omnis causa est perfectior effectui suo, quia sub hoc respectu effectus ab illa pendet.

Per haec verba concludimus decenda in genere de Causa et

de causa efficienti. Non solum hoc necessarium fuit ad bonam intelligentiam causae instrumentalis, et praerequisitum ad probandum phantasma, dum concurrit cum intellectu agente ad productionem speciei impressae, non esse tantum occasionem vel conditionem, sed veram causam, et non causam materiale, sed efficientem, et non efficientem coordinatam sed subordinatam; est etiam valde utile ad intelligendum quid sit causalitas efficiens ipsius intellectus agentis.

II) In Specie: i.e. de ipsa causa instrumentali.

PRAENOTA. -

1^a- Notiones generales de Causis principali et instrumentali. E dictis supra, patet causam principalem et causam instrumentalem esse simul unicam causam efficientem adaequatam ejusdem numero effectus. Unde utraque causa quodam sensu partialis est, scilicet in hoc sensu quod ulla potest producere totum effectum quin ab alia adjuvetur, non autem secundum eandem rationem: hac etenim ministrante illam a qua movetur, illa hac utente cujus indiget ad producendum effectum. Causa instrumentalis est igitur subordinata alteri et non coordinata sicut causa partialis proprie dicta. Causae partiales, v.g. duo equi currum trahentes, ejusdem speciei sunt et influunt in esse effectus secundum eandem rationem; causae principalis et instrumentalis e contra differunt specie et nobilitate, cum illa debeat esse superioris ordinis ut possit alteram sibi subordinare et movere. Exinde sequitur quod ad effectum producendum, agens instrumentale non agit sola virtute propria sed potius virtute superiori principalis agentis sibi communicata, licet virtute sua propria necessario debeat aliquid agere, secus nihil sui relinqueret in effectum et in nullo inserviret.

Ex his omnibus possumus jam nunc aliquomodo definire causam principalem: "illa quae ad effectum virtute sua producendum alteram causam sibi subordinat, dirigit, et movet", et causam instrumentalem: "illa quae ad effectum altiorem se producendum agit simul virtute sua et virtute communicata a principali agente." Tamen proprium instrumenti ut instrumentum non est agere per virtutem suae formae, sed agere per virtutem principalis agentis quem deservit. Unde definitio propria causae instrumentalis formaliter sumptae i.e. qua instrumentalis, melius datur: "illa quae ad effectum altiorem se causandum agit ut mota et elevata a virtute causae principalis".

De causaprincipali ut tali nihil amplius dicendum sit, sed de causa instrumentali multa clarius et longius innotesci debent. Hoc faciemus loquendo 1° de ipso CONSTITUTIVO FORMALI causae instrumentalis, tum in actu primo, scilicet quomodo constituatur proxime potens agere ad effectum suum instrumentalem. seu de VIRTUTE INSTRUMENTARIA, tum in actu secundo, scilicet de exercitio ejus causalitatis instrumentalis, seu de ipsa actione instrumentaria. 2° de conditione requisita i.e. de virtute et actione propria causae instrumentalis; 3° de effectu ejus. Antequam vero de his disseratur oportet distinguere inter diversas species causae instrumentalis. Unde:

2°- Partitio Causae instrumentalis.

Adverte primo quod non omne instrumentum - si secundum communem usum loquendi hoc nomen accipitur - est vere et proprie causa instrumentalis. Haec enim est causa efficiens realis, et ut talis, physice agit. Instrumentum autem communiter dicitur in genere de quacumque combinatione causarum inter se prout una subordinatur alteri quam i'servit, in specie tamen non nisi de signo quo ducimur, ad cognitionem rei alterius: instrumentum logicum; de causa efficien-

ti mota moraliter, i.e. finaliter suadendo aut imperando: instrumentum morale; de causa efficienti subordinata alteri causae efficienti, cui ministrat et a qua movetur physice seu in ordine reali; -instrumentum physicum. Manifestum est solum hoc uñtimum tamquam instrumentum, physice agere, ac proinde solum esse vere et proprie causam efficientem instrumentalem.

Instrumentum physicum tripliciter dividitur, secundum diversitatem causae principalis et effectus ei correspondantis. ARTIFICIALE instrumentum est quod ad opera artis producenda ab artifice adhibetur, ut penicillus ad scribendum. NATURALE, quod a natura ipsa, seu a Deo ut auctore naturae, institutum est et ministratur ad effectum naturalem producendum excedentem propriam perfectionem, ut cellulae germinales quae eleuantur ad novum individuum generandum. SUPERNATURALE, est quod a Deo assumitur ad producendum effectum qui vires naturae excedunt ut v.g. Sacramenta Ecclesiae. Non eodem gradu et ordine, ut constat, sunt instrumenta. Tamen omnia tria conveniunt sub eadem ratione tum ex parte constitutivi formalis causae instrumentalis, tum ex parte conditionis requisitae, tum ex parte effectus producti, quae omnia nunc volumus accurate determinare.

AD REM.

1°- DE CONSTITUTIVO FORMALI Causae instrumentalis.

(seu de VIRTUTE ET ACTIONE INSTRUMENTARIA).

A- In actu primo.

1- Jam scimus nullam causam efficientem posse elícere suam operationem quin habeat prius omnia requisita ad agendum, et istud principium quofit potens agere esse, in causis ordinariis seu principalibus, ipsam naturam aut formam ut remotum et potentiam aut virtutem agendi ut proximum. In causis autem instrumentalibus. aegre invenitur QUOMODO CONSTITUANTUR IN ACTU PRIMO

seu potens ad effectum suum instrumentalem producendum. Nam adverte quod effectus iste non proportionatur propriae virtuti, et remote, propriae formae instrumenti. Itaque non ex natura sua instrumentum fit in actu primo. Tamen actualitas illa qua fit potens agere debet inesse in ipso instrumento secus non esset proxime appum attingere effectum altiore se. Quapropter datur ista apparens antinomia agentis quod DEBET ESSE IN SE potens agere, sed NON POTEST ESSE TALE EX SE scilicet ex sua forma et virtute propria.

Ad hanc difficultatem solvendam, triplex datur sententia. Nihil agendo de opinione Scotistarum qui putant sufficere ad constituendum instrumentum in actu primo, solam ASSISTENTIAM EXTRINSECAM principalis agentis, et de opinione Suarezii qui ponit in instructo quamdam POTENTIAM OBEDIENTIALEM ACTIVAM, in sola virtute cujus proportionatur effectui superiori, statim trademus sententiam thomisticam juxta quam... et juxta veritatem... non sufficit, ad constituendum instrumentum potens agere, aliquid solum extrinsecum (Scot), aut aliquid solum intrinsecum (Suarezius), sed requiritur aliquid et extrinsecum et intrinsecum, scilicet aliquid EX alio agente (superiori) procedens, et IN instrumento receptum; explicitius: ALIQUAE VIRTUS AD MODUM MOTUS, EX CAUSA PRINCIPALI IN CAUSA INSTRUMENTALI TRANSEUNTER COMMUNICATA, QUA HAEC INTRINSECUS ELEVATUR ET PROPORTIONATUR EFFECTUI SE NOBILIORI PRODUCENDO. Paucioribus verbis, schola thomistica explicat causalitatem instrumentalem in actu primo consideratam, PER PRÆMOTIONEM PHYSICAM ELEVANTEM ET TRANSEUNTER COMMUNICATAM.

2. Haec praemotio, quae dicitur entitas, ~~aut virtus~~, aut virtus, aut vis instrumentaria, primo considerari potest tum ex parte principalis agentis, tum ex parte instrumenti.

Si consideratur EX PARTE CAUSAE PRINCIPALIS, virtus instrumentaria est ipsa potentia agendi causae principalis, prout communicatur instrumento ut illud reducat potens attingere effectum perfectiorem se, nempe, effectum proprium ipsius agentis principalis, Ridiculosum autem esset putare potentiam agendi causae principalis transferri ut sic in instrumento. Transitio enim illa fit per modum motus seu applicationis ad actum secundum. Causa superior operatur, et sua actio non immediate attingit effectum ad quem ordinatur, sed mediante instrumento, quod recepta actione, elevatur et fit aptum ad effectum causae principalis attingendum. Ideo ex parte causae principalis considerata, entitas instrumentaria non solum potest dici sua potentia agendi, sed etiam ipsa actio causae superioris quaecumque participatur instrumentum. (Cf. Gredt, 765, 2. circa m.) instrumentum

3- Et nunc intelligitur cur virtus instrumentaria vocatur motio, immo praemotio physica. Motio enim quia actio est motio. Motio physica, quia egreditur ex causa efficienti quae non movet moraliter aut finaliter, seu suadendo, alliciendo, sed realiter, vere efficienter. Praemotio,... et hic coepimus loquere de entitate instrumentaria EX PARTE IPSIUS INSTRUMENTI considerata... quia antecedit quamquam actionem instrumenti, cum illud constituat in actu primo ad agendum. Actio enim simultanea non sufficeret constituere instrumentum in ratione causae (instrumentalis), nam haec se tenet ex parte operationis solum et non cadit nisi in effectum, ac proinde nihil afferet quo immutaretur instrumentum et nullo modo redderet instrumentum virtuosius quam antea. Virtus instrumentaria igitur non potest esse concursus simultaneus, sed est quidam concursus praevius instrumento communicatus ex causa principali, similis illi quo causa prima applicat causam secundam ad agendum. Differt autem praemotio instrumentalis ab illa praemotione in hoc quod haec

solummodo causat transitionem actus primi ad actum secundum, seu actualem exertitionem causalitatis efficientis; supponit ergo causam seu agens jam omnino potens agere; illa autem non solum applicat ad operandum sed dat antea ipsum actum primum instrumento, communicando ei virtutem qua elevatur et fit proportionatum seu aptum ad effectum superiorem attingendum, aut melius, ad actionem excedentem vires suae propriae formae ~~et~~ eliciendam.

Exinde liquescit praemotionem physicam instrumentalem esse essentialiter ELEVATIVAM. Immo haec ratio "elevantis" formaliter distinguit eam a praemotione a Deo accepta in causis secundis. Haec enim non est nisi simplex conditio requisita ad agendum seu concausa, sed non principium operationis; illa autem est ipsa. principium proximum agendi, seu virtus immediate operativa causae instrumentalis qua instrumentalis, scilicet prout ordinatur ad effectum nobiliorem se producendum,. Ergo cum virtute sua propria instrumentum non ordinatur nisi ad actionem et effectum proportionatum, evidens est virtutem (non propriam, communicatam: praemotionem physicam) qua redditur aptum ad actionem et effectum superiorem attingendum esse virtutem elevativam. Quapropter praemotio illa dicitur elevans seu elevativa.

4- Per hanc praemotionem physicam elevantem praebetur ipsum CONSTITUTIVUM FORMALE causae instrumentalis. Per voces enim "praemotio physica", indicatur quod instrumentum est realiter seu physice motum a causa principali; sed cum etiam causa principalis secunda physice moveatur a causa prima, additur vox "elevans", ut indicatur quod haec motio, qua agit instrumentum, non est mera coadjuvatio actionis ejus, seu applicatio actus primi ad actualem actionem, ~~sed~~ sed ipsa fit ipsum principium quo formaliter constituitur instrumentum in ratione instrumenti, seu fit ipsum actum primum

instrumenti qua talis. Hoc expressit J. a Sancto Thoma, dicens: "Propria et formalis ratio causae instrumentalis ut distinguitur a principali, consistit in eo quod operetur UT MOTA a principali agente, si ly "ut mota" dicat totam virtutem et rationem operandi, non vero si dicat solam concausam cooperantem, vel conditionem requisitam" (Phil. Nat. I, q.26, art.1).

Recte ideo dicitur causam instrumentalem formaliter constitui per praemotionem physicam elevantem. Omnia ergo nunc dictura ab hoc derivantur et non sunt nisi quaedam consequentiae aut explicitior discursus aliquorum insufficienter jam apparentium, aut etiam solutio quarundam difficultatum.

5- Prima consequentia istius est character TRANSIENS seu VIALIS praemotionis physicae instrumentalis seu entitatis instrumentariae, et indicatur ab ipso Angelico qui postquam ponit rationem formalem instrumenti dicens "quod instrumentum non operatur nisi in quantum motum a principali agente quod per se operatur", addit deinde consequens "et ideo virtus principalis agentis habet permanens et completum esse in natura, virtus autem instrumentalis habet ESSE TRANSIENS ex uno in aliud et INCOMPLETUM, sicut et motus est actus imperfectus ab agente in patiens" (IIIIa, q. 77. art.4).

Comparatur S.Thomas virtutem instrumentariam ad motum de quo dicit dno :1° quod est actus incompletus: ergo ac virtus instrumentalis est quoque ens incompletum - de quo loquemur infra.- et 2° quod transit ab agente in patiens: simili modo ergo virtus instrumentalis se habet ab agente i.e. a causa principali, in patiens et hoc patiens non est ipsum instrumentum sed subjectum in quo recipitur effectum. Nam virtus instrumentaria est ipsa actio principalis agentis tendens ad effectum non immediate, sed trans instrumentum quod subordinat et adhibet ad illum producendum. Ideoque virtus ins-

trumentaria recipitur quidem in instrumento - et pro brevi aut longo tempore, hoc parum refert - non tamen ut in subjecto, modificando eum et producendo in eo aliquem terminum, sed ut ex tota natura sua dicat ordinem et tendentiam ad aliquid producendum extra instrumentum. Ergo intelligitur 1° cur virtus illa vocatur VIRTUS TRANSIENS, aut ENS VIALE, aut VIS FLUENS, aut etiam ENS INTENTIONALE (quia tendit in "aliud - per oppositionem ad "ens naturae" quod proprium est naturae ut perfectivum illius, v.g. virtus propria), et dicitur sese habere PER MODUM MOTUS aut MOTIONIS; 2° cur esse transiens aut viale attribuitur virtuti instrumentariae non ratione temporis quod duret in instrumento, sed ratione muneris et officii, scilicet in quantum haec virtus recipitur non ut per se operativa, sed ut deserviens alteri priori et principaliori. "Virtus quae non datur ut per se operativa, sed ut continuativa cum alia principaliter operante, dicitur dari per modum motus quia licet operativa sit, non tamen hoc habet nisi ex continuatione actuali ad virtutem principalis agentis, cui ministrat et servit, dum actu operatur, et ideo dicitur per modum motus dari". (J. a S.Thomae).

Talis virtus ergo non habet permanentiam in instrumento nisi sub actuali influxu superioris agentis ad cuius effectum ordinatur; ex quo provenit hanc virtutem, effectum productum, aut cessante motione superioris, statum evanescere. Contrario autem modo se habet virtus agendi causae principalis (et etiam virtus propria ipsius instrumenti de qua erit sermo infra). Haec enim habet esse fixum et ratum in agente et semper in eo manet sive actualiter operetur vel non; illa autem non inest nisi sub actuali usu quo causa principalis utitur causa instrumentali. Haec est virtus completa et perfecta; illa INCOMPLETA ET IMPERFECTA. "Agens principale agit secundum exigentiam suae formae, ait S.Thomas; et ideo virtus activa in ipso est

aliqua forma vel qualitas habens completum esse in natura. Instrumentum autem agit ut motum ab alio; et ideo competit sibi virtus proportionata motui; motus autem non est ens completum sed est via in ens, quasi medium inter potentiam puram et actum purum, ut dicitur in III Phys. text.6. Et ideo virtus instrumenti in quantum huiusmodi secundum quod agit ad effectum ultra id quod competit sibi secundum suam naturam, NON EST ENS COMPLETUM HABENS ESSE FIXUM IN NATURA, SED QUODDAM ENS INCOMPLETUM"(IV, Sent. dist.1)-q.1, a.4, q.5, 2).

Hic datur occasio determinandi in quonam praedicamento ponenda sit formaliter virtus instrumentaria. Sed cum esset parvae utilitatis ad thesim nostram, tantum dicetur quod virtus illa non videtur esse motus simpliciter, neque simpliciter qualitas, sed qualitas incompleta et fluida; "ille motus est qualitas aliqua per modum transeuntis et motionis" (S. a S.Th loc. cit.) Unde in nullo praedicamento adaequate potest poni, cum non sit ens completum, sed reducitur ad genus qualitatis formaliter licet inadaequate, i.e. ut qualitas incompleta et ad modum motus.

6- Ex illis dictis nunc innotescit quomodo virtus instrumentaria quae, prout derivatur a superiori agente semper est nobilior ipso instrumento, in eo tamen recipi potest; immo, licet sit aliquando ENTITATIVE SPIRITUALIS, RECIPITUR NIHILOMINUS IN INSTRUMENTO CORPOREO, ut v.g. obtinet in Sacramentis quae quamvis sint ordinis sensibilis, producant tamen effectum spirituales. Nulla repugnancia in hoc adest quia virtus instrumentaria, ut dicimus, non subjectatur in instrumento permanenter et sicut proprium ei, sed ad modum virtutis incompletae et vialis, non propriae instrumento quod eam transeunter tantum mutuatur a principali agente. Unde non valet in casu, axioma "quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur", quia virtus instrumentaria non mensuratur proprie ab instrumento, sed a termino seu ab effectum ad quod ordinatur. Quare dici pote

Quare dic² potest S. Thomas : "Illa virtus proprie neque est corporea, neque incorporea; corporeum enim et incorporeum sunt differentiae entis completi, sed proprie dicitur VIRTUS AD INCORPOREUM, sicut motus magis dicitur ad ens quam ens" (17 de Verit. art.4, ad5); et in 4 Sent. dist.I, q.1, a.4; -"In re corporali non potest esse virtus spiritualis secundum esse completum ; potest tamen ibi esse per modum intentionis (i.e. per modum motus- transeunter, et fluenter) sicut in instrumentis motis ab arte est virtus artis".

Aliam Doctor dat rationem cur instrumentum corporeum recipere potest virtutem spiritualem a qua elevetur et proportionetur effectui superiori, in hoc quod instrumentum omne dicit rationem subordinationis et dependentiae suae obedientialitatis respectu causae principalis. Sicut enim creatura omnis dicit oboedientiam Deo ut ab eo accipiat ordinationem ad actum et objectum supernaturale, dummodo nulla repugnantia adest; eodem modo instrumentum habet quamdam potentiam oboedientialem respectu principalis agentis ita ut nullam repugnantiam habeat ad recipiendam ex illo virtutem superiorem a qua elevatur ad eliciendam actionem et producendam effectum superiorem. "Nihil prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, IN QUANTUM CORPUS POTEST MOVERI, ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spirituale inducendum" (IIIIa, q.62, a.4 ad 1). Ideo quia naturaliter corpus subijcitur spiritui et ejus impressionem ac motum recipit, virtus instrumentalis, licet spiritualis sit aliquando, potest subjectari in instrumento non absolute sed quatenus oboediens est et subijcibile spirituali agenti. (Cf. J. a S.TH. loc. cit.).

b- Causa instrumentalis in actu secundo.

Tam longus fuit sermo de causa instrumentali in actu primo, quam brevis erit loquendo de ipsa exercitatione causalitatis

instrumentalis, seu de instrumento in actu secundo. Ratio est quia EADEM MOTIO qua instrumentum constituitur potens agere pariter constituit eum in actu secundo seu causat ejus transitum de potentia proxima agendi ad actualem operationem et sustinet ipsam actionem quamdiu duret. Et probatur hoc quia instrumentum nullo modo recipit praemotionem physicam elevantem propter seipsum perficiendum, sed tantum propter effectum aut finem attingendum, vel potius, solum in ordine ad actionem superiorem eliciendam qua producet effectus superior. Atqui nulla actio efficiens terminatur nisi ad suum effectum. Ergo motio causae principalis primarie recepta in instrumento non ibi terminatur sed tantum ad effectum extra instrumentum et mediante instrumento productum. Ergo eadem motio entitativa una, virtualiter duplicem effectum --inadaequatum-- producit: elevationem instrumenti, tunc inchoative attingens terminum aut finem suum; et effectum extra, et tunc terminative et adaequate attingens finem suum.

2° DE CONDITIONE REQUISITA (seu de VIRTUTE ET ACTIONE PROPRIA)

Nunc ergo scimus instrumentum in quantum hujusmodi formaliter constitui potens agere et formaliter operari per quamdam virtutem transeunter impressam in eo ex causa principali, scilicet per praemotionem physicam elevativam cujus proprium est non esse propriam instrumenti, sed mutuata, transeunter communicata, ita ut elevetur et efficienter attingat effectum altiorem se. Sed in schola thomistica, asseruitur, praeter istam virtutem instrumentariam, non propriam, esse in instrumento aliam virtutem ipsi propriam, et requiri actionem ex illa derivatam. "Instrumentum habet duas actiones: unam instrumentalem, secundum quam operatur non in vir-

tute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quae competit ei secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis". (S.Th.III,q.62,a.1,ad 2).

Facile deprehenditur cur instrumentum sua virtute et actione propria debet concurrere cum virtute et actione instrumentali. Nam ut dicit J. A. Sto Thoma: "Si virtus propria nihil agit, sed tantum virtus communicata a superiori agente, ita quod actio tantum exit ab illa virtute ~~per~~ communicata, et nullo modo a propria virtute, non potest ex vi illius constitui instrumentum in ratione instrumenti, ut distinguatur a causa principali, quia causam esse instrumentalem non consistit in hoc tantum quod operetur virtute ab alio participata, sed in hoc quod operatur ultra propriam virtutem" (Phil. nat. I, q.26, art.2). Vidimus enim superius, causam instrumentalem formaliter constitui in hoc quod sit "elevative mota"

seu in hoc quod recipiat "praemotionem physicam elevantem". Sed si nullam haberet virtutem et actionem propriam, nullomodo posset elevari et in nullo ministraret superiori agenti, sed esset purum medium recipiens ab agente principali motionem tamquam "per se operativam", non ut motionem elevativam alterius actionis sibi ministranti et deservienti". (J. A. Sto Thoma loc.cit.). Insuper si nihil omnino ageret instrumentum per se proprium, non videtur cur ad specificam actionem et effectum adhiberetur tale instrumentum potius quam aliud

Necessitas igitur virtutis et actionis propriae instrumenti est AD MODIFICANDAM ACTIONEM PRINCIPALIS AGENTIS, aliis verbis, est UT OPERETUR DISPOSITIVE AD ACTIONEM PRINCIPALIS AGENTIS.

Hoc fit quatenus influxus receptus in instrumento a principali agente per praemotionem, scilicet virtus instrumentaria, determina-

tur per virtutem propriam instrumenti. Ita, unicum principium operandi constituunt virtus propria et virtus instrumentaria, ac proinde egreditur ex illis actio entitativa una, quae tamen duplicem formalitatem induit alteram ex causa principali, seu ex virtute instrumentaria, alteram ex instrumento seipso, seu ex virtute propria, derivantem. Actio igitur instrumentaria et actio propria instrumenta realiter inter se distinguuntur, non tamen entitative.

"Non perficit instrumentalem actionem, subdit S. Thomas postquam asseruit instrumentum duplicem habere actionem in loco supra citato, NISI EXERCENDO ACTIONEM PROPRIAM; sicut securis sciindendo facit lectum et similiter Sacramenta corporalia per propriam operationem quam exercet circa corpus quod tangunt efficiunt instrumentalem operationem ex virtute divina circa animam". Et in II C. Gent. c. 21, aequè clare dicit: "Omne agens instrumentale exequitur actionem principalis agentis per aliquam actionem propriam et naturalem sibi."

Omnia igitur instrumenta in hoc concordant quod per virtutem et actionem modificant vel operantur dispositive ad actionem principalis agentis; sed dividuntur in hoc quod aliquae hoc solum efficiunt, quum alia exerceant praeterea quandam dispositionem in ipso subjecto, vel materia ex quo educitur effectus. Istud ultimum obtinet in instrumentis artificialibus et omnibus naturalibus quae assumuntur ad aliquid corporale tantum producendum; ut v.g. in serra quae actione suae acuitatis et resistentiae aliquid operatur dispositive ad actionem artificis in ipso ligno circa quod hic operatur, et in viribus chemicis et physicis plantae quae propria sua virtute agunt in non-viventibus elementis et virtute animae vegetalis sibi communicata, ex illis producant viventes cellulas organicas. Primum obtinet in omnibus instrumentis -sive naturalibus, sive supernatura-

libus- quae, etsi corporalia, assumuntur ad producendum aliquid spirituale ut Sacramenta gratiam in anima, et ignis inferni, torturam in daemone. Ratio patet, quia propria horum actio corporalis est, ergo actione propria non possunt agere dispositive in subjecto, quod est tunc spirituale. Unde solam actionem agentis principalis modificant, quatenus virtus instrumentaria determinatur a virtute propria instrumenti in qua recipitur. Hoc autem sufficit ad rationem instrumenti, nam etiam, tunc proprie agit dispositive ad actionem principalis agentis virtute propria, non ex parte rei operatae quidem, sed ex parte modi operandi. Etenim, ut nos monet J. a Sto Thoma, agere dispositive ad actionem dupliciter fieri potest alio modo, agendo in ipso subjecto vel materia et tunc dicitur magis proprie "agere dispositionem"; alio modo, modificando tantum actionem principalis agentis in quo vere salvatur "operari dispositive". Et hoc sensu intelligenda sunt verba S. Thomae: "Causa secunda instrumentalis non participat actionem causae superioris, nisi inquantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis." (Ia, q. 25, a. 5)

Nota quod D. Doctor non dicit requiri ad instrumentum, quod operetur aliquam dispositionem ad effectum principalis agentis sed quod "dispositive operatur". In quo, animadvertit J. a Sto Thoma, multi hallucinantur putantes idem esse operari dispositive, et operari dispositionem. " (Phil. nat. Ia, q. 26, art. 2).

3° DE EFFECTU CAUSAE INSTRUMENTALIS.

Breve dicetur de effectu causae instrumentalis. Nam totum quod est iam praecontinetur in causa et actione ejus de quibus satis locutum fuit ut sciamus quid sit in instrumenti effectum. Sicut igitur entitative una est actio principalis agentis et instrumenti ei subordinati et deservientis, ita effectum quod attingit actio ista est

unicum ut ens. Duplex tamen formalitas, sicut ac in actione, inveniri potest in eo, quorum una producitur ratione virtutis instrumentariae, seu virtutis principalis agentis, instrumento communicata per praemotionem physicam; altera ratione virtutis propriae instrumenti. Ut entitas ergo, ~~unice~~ ^{unice} unus datur effectus ita ut totaliter producitur et ab instrumento et a causa principali, alio et alio tamen modo. Ab agente instrumentali, tamquam a causa mota ab altiori et illi deserviente; ab agente principali, tamquam a causa superiori subordinante et movente inferiorem ad attingendum effectum a seipso ^{se} intentum et proportionatum. Quare effectus quia procedit ab instrumento sicut ab aliquo ministrante, non ei assimilatur sed principali agenti.

2- OPINIONES.

Non expedit immorari circa omnes sententias quas elucubraverunt scholastici dum conabantur congruam rationem actionis intellectus agentis cum phantasmate operantis ad factionem speciei. Sufficit praecipuas et aliarum quodammodo repraesentativas exponere. Ut jam scimus, omnes opiniones vertuntur circa causalitatem phantasmatis, nempe ad sciendum in quonam genere causarum ponendum sit. Suarez defendit quamdam causalitatem materiale. Plerique scholastici tamen vindicunt pro phantasmate causalitatem efficientem, et etiam instrumentalem (nam minimi momenti est sententia Mastrii juxta quem phantasma non subordinatur sed coordinatur intellectui agenti in productione speciei). Sed hic satis divisi sunt ad explicandum quomodo phantasmata constituuntur instrumentum. Tria dantur praecipua sententia. Prima, Cajetani et multorum aliorum extra scholam tomisticam, instrumentalem causalitatem phantasmati explicat per

quamdam ASSISTENTIAM MERE EXTRINSECAM; utraque alia PER ELEVATIONEM INTRINSECAM, sive ex primo instanti existentiae phantasiae propter radicationem in eadem anima in qua ~~insit~~ intellectus agens ut contendit Ferrariensis et alii nonnulli, sive per praemotionem physicam in phantasmati transeunter receptam sub actuali usu intellectus agentis, et haec est sententia communis ab ipso Sto Thoma vix dubie tradita et a plurimis thomistis praecipue que a Joanne a Sancto Thoma defensa.

Nunc ergo illae quatuor ~~illas/quatuor~~ praecipuae sententiae separatim exponabuntur. Sed antea, ad meliorem harum intelligentiam, mihi videtur non esse inopportunum attentionem ducere ad quaedam vocabula quibus libenter utuntur scholastici ~~et quae vocabula~~ ~~quibus libenter utuntur scholastici~~ et quae insolita videri possunt cui non esset monitus.

Scholastici enim plerumque, non excepto Sto Thoma, sicut dicunt intellectum agentem esse quoddam "lumen", ut vidimus in prima parte t esseos, aut "vim abstractivam", ita 1° actionem ejus in phantasmatis "ILLUMINATIONEM" vocant, metaphorice describentes (ex luce corporali quae colores reddit visibiles actu) realem influxum sive extrinsecum, sive radicalem, sive transeunter intrinsece elevantem-- quem phantasmata accipiunt ex intellectu agente; 2° productionem speciei impressae per intellectum agentem cum concursu phantasmatis operantem, saepissime et recte "ABSTRACTI(N)EM" nuncupant. Species enim est ipsa quidditas (rite elaborata) rei sensibilis quaecumque identificatur in actu primo intellectus possibilis. In hac autem elaboratione, quidditas quodam modo separatur a singularitate quaecumque conjungitur in re sensibili et postea in phantasmate. Ex altera parte, abstractio, ut dicit Cajetanus, in qua non est mendacium, cum consis-

tat in acceptione unius et non alterius sibi conjuncti, ejus proprius quasi-effectus est apparere unum, non apparendo aliud. "(Comm. in I. q.79, a.II,no.IX) Quare facile videtur cur factio speciei aut separatio quidditatis notis individuantiis quibus concretisatur in re sensili et in phantasmate, vocatur "abstractio."

Non sit autem confundenda haec abstractio cum abstractione tum negativa tum positiva intellectus possibilis. Abstractio enim intellectus agentis, cum sit simpliciter acceptio unius omni alio ad quod poterat ordinari omisso, etiam dicitur "negativa" Differt, tamen ab abstractione negativa intellectus possibilis in quantum haec est actus cognitionis quo concipitur natura sine conditionibus individuantiis; quum illa non est cognitio, sed processus praevis cognitionis, quo producitur species impressa quae est principium cognitionis. Adverte tandem quod intellectus possibilis praeterea gaudet altera abstractione quae dicitur "positiva" quatenus intellectus accipit unum separando ab alio cum cognitione utriusque termini. Oportebat distinguere diversas illas abstractions cum multi philosophi moderni, praesertim extra scholam scholasticam, magis hallucinantur super hoc, putantes nos attribuere intellectui agenti, abstractionem negativam intellectus possibilis, aut etiam positivam

His dictis facilius intelligentur expositiones sententiarum quae nunc tradebuntur.

A- Sententia Suarezii

Plerumque scolastici praebent phantasmati reale munus causalitatis. Quidam tamen, Suarezio duce, putant sufficere causalitatem materiale et omnem efficientiam rejiciunt ex parte phantasmatum. Audiatur ipse Suarez. Postquam ostendit intellectum agentem nunquam efficere speciem, nisi a phantasiae cognitione determinetur- quod quidem omnino rectum est- dicit: "Praedicata determinatio non fit per

influxum aliquem ipsius phantasmatis, SED MATERIAM ET QUASI EXEMPLAR INTELLECTUI AGENTI PRAEBENDO, EX VI UNIONIS QUAM HABENT IN EADEM ANIMAE. "(De Anima L. IV, c II no 12.) "Est enim notandum, ipse persequitur, phantasma et intellectum hominis radicari in una eademque anima: hinc provenit, ut mirum habeant ordinem et consonantiam in operando, unde eo ipso quod intellectus operatur, imaginatio etiam sentit.... Ita fit ut anima cum primum phantasiando cognoscit rem aliquam, per virtutem spiritualem, quam intellectum agentem vocamus, quasi depingat rem eandem in intellectu possibili..... et ipsa sensibili cognitione minime concurrente efficienter ad eam actionem, sed habente se instar materiae, aut excitantis animam, aut vero ad instar exemplaris." (Ibid.)

Et ad suam opinionem confirmandam illa verba S. Thomae revocat: "Non potest dici, quod sensibilis cognitio sit totalis et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est materia causae" (I, q. 86, a. 6.)

B-Sententia Cajetani.

Contra Suarezium fere omnes philosophi qui ad reducendum intellectum possibilem in actu primo admittunt ~~in~~ intellectum agentem, concedunt phantasmati realem efficientiam. Sunt paucissimi qui, ut Mastrius censent phantasma esse causam efficientem partialem, non subordinatam, sed coordinatam intellectui agenti. Multum plurimi enim illud ut causam subordinatam seu instrumentalem habent.

Cajetanus certe admittit phantasma esse quodammodo instrumentum pro intellectu agente. Nam dicit respondendo ad difficultatem Durandi, nempe "phantasma solum est impotens; ergo immutatum semper erit impotens", quod licet phantasma sit immutatum in se, tamen nihil obstat quod sit mutatum in ordine ad aliud. "Et consistit

ista mutatio in hoc, quia de seorsum agente transit in ministrum alterius auctoritate, quod sola non posset.- Et cum dicit(Durandus) arguens quod mirum est quod ex assistentia alterius aliquid possit quod prius non posset: respondendum est quod propter admirari coepit philosophia." In I,q.79,a.3⁴°V)

Hanc autem assistentiam qua intellectus agens reddit phantasma potens agere in intellectum possibilem, Commentator positive negat esse, ut suis verbis utamur,"aliquid positivum","quamdam intentionalem virtutem per modum fluentis" susceptam in eo (In I. a.q.85,art:2 N°VIII) Quare addit in fine articuli quod phantasma non est proprie instrumentum. Nequit autem illud admittere, non quia videtur absolute impossibile, sed quia esset superfluum et superaddere intentiones sine necessitate, cum phantasma potest ministrare intellectui agenti sub actuali assistentia illius, alia ac simpliciiori modo, nempe per quandam EXTRINSECAM ASSISTENTIAM quae in ILLUMINATIONE OBJECTIVA consistit.

Phantasmata primum ex sola vi propria phantasiae humanae elaborantur usque ad simplicissimum schema qui tamen manet citra intelligibilem ordinem. Dein "intellectus agens convertitur super ea illuminando ea non formaliter sed objective, sicut colores illuminantur. Phantasia ergo existente in actu secundo, et ordinando rite sua phantasmate, intellectus agens assistit illis et fit illis propinquus, immo conjunctus conjunctione qua lumen conjungitur colori; et sic illuminantur phantasmata objective; et hac objectiva illuminatione attingunt summum spiritualitatis gradum, et sic redduntur et sunt habilia ut ex eis species intelligibilis abstrahatur" (Ioc.cit. n° IX)

Scholastici veteres explicabant illuminationem aut per inhaerentiam lucis in subjecto illuminato, aut per apparentiam objecti ex extrinseca luminis assistentia, sicut, ut ponebant, lux non inhaeret in ipso colorato, sed in aere. Aer dicebant illuminari formaliter, color autem objective. Isti illuminationi objectivae comparat Cajetanus actionem qua intellectus agens utitur phantasmatis ad liberandam quidditatem aut naturam rei ex ejus conditionibus singularisantibus, quod fit per productionem speciei impressae. "Cum in phantasmate sit natura haec, adveniente lumine intellectus agentis phantasma illustratur non formaliter, ut diaphanum, sed objective, ut color; qua illustratione splendet atque relucet in phantasmate non totum quod est in eo, sed quidditas seu natura tantum, et non singularitas ei conjuncta; ita quod ista illuminatio est abstractiva, quia facit apparere unum, scilicet quod quid est, non apparendo aliud, scilicet principium individuans. Ac per hoc splendet in phantasmate intelligibile in actu, natura scilicet abstrahens ab hic et nunc; et tale intelligibile in actu movet intellectum possibilem" (In Ia q. 79, art. 3 n° IX)

Ergo ex his sequitur quod phantasma sit ens intelligibile? Minime, respondit Cajetanus, quia ipsum phantasma degenerare sensibilibus quippe manet. "In phantasmate illustrato autem relucet intelligibile in actu...quod nihil aliud est quam phantasma illustrari quoad unum, et non quoad aliud...sicut lumen corporeum facit colorem pomi apparere, et non saporem aut odorem". Nec "est imaginandum quod ab intellectu agente fluat lumen in phantasma, et quod phantasma illo suffultum lumine producat speciem, quemadmodum corpus illuminatum movet visum. Sed quod ipse intellectus agens est lumen, quo splendet objective phantasma secundum quidditatem in eo existentem, et sic producitur species ab utroque. Ita quod ab intellectu

agente immediate procedit utrumque, ordine tamen quodam: quia prius natura illustratur phantasma, quam a se et phantasmate actuetur intellectus possibilis" (loc.cit.).

Sic Cajetanus explicat quomodo phantasma ministerialiter concurrat cum intellectu agente ad producendam speciem. Alii similiter per assistentiam mere extrinsecam dicunt elevari phantasma ad producendam speciem. Ita Lorenzelli in "Psychologia intellectuali".

C- Sententia Ferrariensis.

Ferrariensis, e contra, quem aliququaliter videtur sequi Card. Zigliara (Psychol. lib. IV, c.II, a.V) et alii, existimat phantasiam elevari ab initio ex conjunctione cum intellectu agente quocum radicatur in eadem anima et sic producere phantasmata illuminata, i.e. habilia ut ab eis intellectus agens abstrahat species, et haec habilitas reddit phantasma intelligibile in actu, non objective sed causaliter.

Sic exponit thesiam suam. Statuit primo, referens ad duplicem opinionem de illuminatione in communi, quod intellectus agens est absque dubio, illuminativus ipsius phantasmatis et non alicujus medii. Secundo affirmat "quod dupliciter possumus imaginari intellectum illuminare phantasmata. Uno modo causando aliquid in ipso phantasmata, postquam productum est, per quod fiat habile ad causandum speciem intelligibilem in intellectu. Alio modo, nihil hoc modo causando, sed EX SOLA CONJUNCTIONE IPSIUS CUM ILLO REDDENDO IPSUM A SUA GENERATIONE VIRTUOSIOREM ET HABILIOREM AD HUIUSMODI CAUSATIONEM SPECIEI." (Comm. in II Cont. G.6.77, n° III, 2.) Illud modum rejiciendo, hunc defendit, tamquam conformiorem doctrinae S. Thomae: "phantasmata illuminantur ab intellectu agente, quia sicut pars sensitiva ex conjunctione ad intellectum efficitur virtuosior, ita phantasmata ex virtute intellectus agentis redduntur habilia ut ab

eis intentiones intelligibiles abstrahantur"(I,q.85 a.1 ad 4) Secundum igitur Ferrariensem "sicut supremum inferioris attingit infimum superioris (Dionysius), ita inferior potentia, conjuncta superiori et in eadem animae essentia radicata, perfectior et virtuosior efficitur.... Sic ergo virtus formativa phantasmatum in homine, ex hoc quod in eadem anima cum intellectu radicator, longe perfectior est phantasia bruti: et ideo perfectiora et virtuosiora phantasmata efficit, utpote ex sua natura habilia ad causandum, simul cum intellectu agente, species intelligibiles in intellectu possibili.... Et sic dicitur illuminare phantasmata intellectus agens, non proprie effective aliquod accidentale phantasmati jam producto infundendo: sed radicaliter et fundamentaliter ratione animae in qua intellectus agens radicator, naturali concomitantia consequitur phantasia phantasmatis illuminati atque ad intellectionem ordinati productiva" (loc.cit.n° III,3)

Per talem elevationem seu illuminationem radicalem, Ferrariensis dicit "phantasmata fieri intelligibilia in actu.". Sed per hoc non vult significare, ut monet nos, quod phantasmata ipsa aut aliquid formaliter in ipsis existens fiunt proprium objectum actualiter potens informare intellectum et intelligi, sed quod intellectus agens" facit illa in tali actu ut possint secum con-causare species intelligibiles in intellectu possibili"(loc.cit.n° VIII) Quare dicit ea esse actu intelligibilia non objective, sed causaliter, in quantum ex conjunctione radicali cum intellectu agente habent ut possint movere intellectum. Nihilominus hoc non prohibet phantasma esse instrumentum intellectus agentis, E contra "phantasma dicitur intelligibile in actu, quando habet unde possit esse instrumentum intellectus agentis causantis speciem in intellectu possibili: quod convenit sibi in quantum lumine intellectus agentis est illustratum"

(loc. cit.n° VII) Nam "virtus artis non semper est impressa~~ae~~ instrumento per modum qualitatis aut intentionis instrumenti post ejus productionem superadditae...Ita, in proposito, potest phantasma esse instrumentum intellectus agentis, utpote non agens nisi ut ab ipso motum; et tamen agere per suam virtutem naturalem quae est quaedam participata similitudo virtutis intellectus agentis, non autem per novam qualitatem sibi ab intellectu agente superadditam"(l.c.n°IV,3)

Sic ergo Ferrariensis explicet quomodo, secundum suam opinionem, phantasma constituitur instrumentum intellectus agentis. Res-tat ut ultima et vera sententia exponatur.

D-Sententia communis.

In hac sententia quam communiter tenent plerumque Thomistae, phantasma non elevatur, ut constituatur in ratione instrumenti, per solam extrinsecam assistentiam, neque per solam elevationem radicalem, sed per quandam influxum ab intellectu agente acceptum quo intrinsece elevatur sub actuali usu ipsius intellectus agentis hic et nunc producentis speciem cum ministranti cooperatione phantasmatis. Fauctores enim hujus opinionis asserunt- et reate- phantasma esse vere et proprie instrumentum intellectus agentis tamquam causae principalis. Quare tria statuunt, prout phantasma ut instrumentum, consideratur 1° ex parte constitutivi formalis; 2° ex parte conditionis requisitae, nempe virtutis et actionis propriae; 3° ex parte effectus.

1° EX PARTE HUIUS QUO PHANTASMA CONSTITUITUR FORMALITER INSTRUMENTUM intellectus agentis, dicunt hoc fieri per praemotionem physicam intellectus agentis, phantasma elevantem, et transeunter in eo communicatam, aut aliis verbis per aliquam virtutem aut vim (instrumentariam dictam) spiritalem ab intellectu agente ad modum motus aut entis vialis acceptam qua phantasma intrinsecus elevatur et fit aptum, sub subordinatione intellectus agentis, ad produ-

cendum effectum perfectiorem se, nempe speciem impressam in intellectu possibili.

2° EX PARTE VIRTUTIS ET ACTIONIS PROPRIAE ipsius instrumenti, autumant Thomistae phantasma exercere suam propriam actionem repraesentando sensiliter rem materialm ac per hanc actionem modificare ipsam actionem instrumentariam quam exercet virtute intellectus agentis transeunter secum communicata. Ac proinde phantasma non esse instrumentum quod agit dispositive ad actionem principalis agentis non in ipso subjecto in quo recipitur effectus, sed solum modificando actionem ipsam agentis principalis per modum causae materialis, quatenus materiam seu potentiam determinatam praebent ei, ex qua determinetur virtus aut vis instrumentaria ad effectum determinatum attingendum. Phantasma ideo dicitur operari dispositive ad actionem intellectus agentis non ex parte rei operatae, sed ex parte modi operandi, in quantum sensiliter repraesentando objectum, actio intellectus agentis, seu actio instrumentaria quae ex se indeterminata est, modificatur et determinatur ad producendam talem speciem determinatam, spiritualiter ac intelligibiliter repraesentantem objectum.

3° EX PARTE EFFECTUS, dicunt, ut praecedens paragraphum praesentire facit, esse in specie intelligibili impressa quae est unicus effectus unicus actionis intellectus agentis et phantasmatis duplicem formalitatem, nempe rationem genericam "speciei" quae virtute instrumentaria, i.e. virtute participata intellectus agentis datur; et rationem specificam "talis speciei" quae provenit ex virtute propria phantasmatis.

Hanc sententiam profitentur Conimbricenses, Carmelitani, Computenses, Capreolus, Bannes et praesertim Joannes a Sto Thomas et multi alii. Inter recentes thomistas etiam est communissima opinio.

Nominantur tantum Mattiussi,, Garrigou-Lagrange, A.D.Sertillanges, Remer, Maritain, Gredt, etc.etc.

Omnes innuntur in Sanctum Thomam qui clare dicit in X de Veritate, art.6, ad 7: "In receptione qua intellectus possibilis species rerum accipit a phantasmatibus, phantasmata se habent ut agens instrumentale et secundarium, intellectus vero agens, ut agens principale et primum. Et ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili, secundum conditionem utriusque, et non secundum alterius tantum, et ideo intellectus possibilis recipit formas ut intelligibile ex virtute intellectus agentis, sed ut similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum"et rursum in I, q.85, a.1 ad 3. "Phantasmata, cum sint similitudines individuorum, et existant in organis corporeis, non habent eundem modum existendi quam habet intellectus humanus, et ideo non possunt sua virtute imprimere in intellectum possibilem. Sed virtute intellectus agentis resultat quaedam similitudo in intellectu possibili ex conversione intellectus agentis supra phantasmata, quare quidem est repraesentativa eorum quorum sunt phantasmata, solum quantum ad naturam species. " Similiter loquitur in aliis etiam locis.

Nam, ut patet, illam sententiam defendimus, tamquam rem veram et secundum mentem Divi Thomae conformiorem. Quapropter eam nunc probare conabimur, demonstranda quod ad productionem speciei intelligibilis impressae intellectus agens et phantasma vere agunt ut causa principalis et causa instrumentalis.

II- Probatur

Cum, ut ab initio dictum est, omnibus patet intellectum agentem esse causam efficientem et quidem principalem, et phantasma realem causalitatem habere in specie efficienda, nunc probandum est I° quod phantasma est causa efficiens speciei, II° vera causa instrumentalis.

I- PHANTASMA EST CAUSA EFFICIENS

A- NEGATIVE i.e. CONFUTANDO SUAREZIUM.

Parvam claritatem habet Suarez in sua expositione de genere causalitatis qua concurrit phantasma ad producendam speciem. Videtur ~~sensualitatis~~ ~~qua~~ dicere phantasma non esse veram causam materiale sed "se habere (ad) INSTAR MATERIAE" aut potius, illud solum praebere exemplar intellectui agenti, ad instar cuius hic efficiat speciem impressam. Quid sit autem in mente Suarezii hoc "vehiti exemplar"? Num velit dicere phantasma sese habere sicuti exemplar hoc modo quod intellectus agens, illud contemplans, speciem similem efficeret in intellectu possibili? Videtur potius tribuere causalitatem exemplarem phantasmati, "quatenus existente phantasmate in phantasia, intellectus agens, propter radicationem in eadem anima in qua radicatur phantasia, determinatur ad speciem efficiendam respondentem phantasmati" (Gredt 576, 3).

Si hoc ultimum ergo vult dicere Suarez, respondeo quod radicatione phantasiae et intellectus agentis in eadem anima nihil facit ad determinandum intellectum agentem ad talem vel talem speciem efficiendam. Nam intellectus agens et phantasia sunt duae facultates realiter inter se distinctae. Atqui ex hoc quod aliqua potentia animae sit determinata non sequitur quod alia potentia etiam determinetur. Ergo determinata phantasia per phantasma intellectus agens manet indeterminatum.

Si vero Suarez censet phantasma esse verum exemplar ad instar cuius intellectus agens defingat speciem in intellectu possibili, tunc esset praebere intellectui agenti capacitatem cognitionis. Nam causa exemplaris non influit nisi in quantum cognita a causa efficiente.

Si tandem attenditur ad locum ubi statuit "sensibilem cognitionem minime concurrere efficienter ad eam (intellectus agentis)

actionem, sed habere se (AD) INSTAR MATERIAE ".aut per hoc intendit ponere phantasma tamquam veram et propriam causa materiale, aut non. Si non, restat explicare in qua alia causalitate illum ponit, et constat quod hoc nullibi facit; si primum, tunc non apparet quomodo phantasma potest esse vera causa materialis. Nam illa, est ex qua educitur effectus, vel saltem in qua recipitur forma effectus. Atqui species intelligibilis neque educitur ex phantasmate, neque in eo recipitur, cum sit materiale, sed ex intellectu possibili et in eo. Ergo non vera et propria causa materialis est phantasma.

Unde rejicitur sententia Suarezii statuens phantasma concurrere materialiter tantum in productione speciei impressae.

Nota quod hic non negatur phantasma ullo modo agere materialiter, sed agere tantum materialiter non sufficere. De causalitate materiali et phantasmatis quam admittimus, loquetur infra.

B- Positive.

Probatio sumitur EX RATIONE tum ex parte productionis speciei, tum ex parte speciei productae, et confirmatur AB EXPERIENTIA.

EX PARTE ENIM SPECIEI PRODUCTIONIS, nam jam scimus, ex dictis in introductione^{de} cognitione objectum efficienter producere speciem in potentia cognoscitiva, (sive immediate, sive mediate; sive per se solum sive cum adjunctione alterius causae.) Atqui in specie intelligibili producenda in intellectu possibili, phantasma vices gerit objecti. Ergo phantasma efficienter concurrat ad speciem producendam.

EX PARTE SPECIEI JAM PRODUCTAE, nam constat unamquamque speciem habere suam propriam determinationem, aut "talem", quae causam vere efficientem vindicat. Atqui in intellectu possibili cujus species causatur ab intellectu agente et phantasmate, causa

efficiens determinationis speciei non potest esse intellectus agens, Ergo debet esse phantasma. Ergo phantasma efficienter concurrit ad speciem producendam. Majoris prima pars per se patet, secunda pars constat ex vi principii causalitatis. Minor autem quoad primam partem eminet ex dictis in altera parte theseos, quoad secundam partem, ex ~~dictis~~ hoc quod intellectus agens sit ex se indeterminatus ad unam vel aliam speciem.

Denique haec omnia CONFIRMATUR AB EXPERIENTIA, quae testatur nos non solum non posse intelligere sine conversione ad phantasma sed etiam semper habere tale sensibile schema pro tali ~~idea~~ ^{idea}; v. g. impossibile est acquirere ideam uniuscujusque colorum speciei, ~~Er-~~ nisi habeatur sensibilis repraesentatio uniuscujusque colorum speciei. Ergo per factum specificationis ideae ab imagine sensili, cum idea omnino pendet a specie impressa, confirmatur phantasma esse VERAM CAUSAM EFFICIENTIAM SPECIEI.

II- PHANTASMA EST CAUSA EFFICIENS VERE INSTRUMENTALIS

Hoc etiam probabitur negative, scilicet phantasma non est causa coordinata; et positive, demonstrando quod phantasma implet omnes conditiones verae causae instrumentalis, tum ex parte constitutionis formalis, tum ex parte conditionis requisitae, tum ex parte effectus producti.

A- Negative

1.e. PHANTASMA NON EST CAUSA COORDINATA°

Causa creata quae in efficientia ejusdem effectus non est coordinata cum altera causa creata et principali, est causa subordinata seu instrumentalis istius.

Atqui in efficientia speciei impressae, phantasma non est causa coordinata cum intellectu agente.

Ergo phantasma cooperatur tamquam causa instrumentalis intellectus agentis.

MAJOR PATET EX DICTIS in statu quaestionis de causa efficiendi. Duae causae efficientes possunt producere eundem effectum, etsi una sit subordinata alteri, quin haec causa subordinata sit causa instrumentalis. Hoc obtinet quando causa prima (increated) et causa secunda producant suum communem et unicum effectum. (Nunc tunc ambae sunt causae principales) numquam quando duae causae creatae simul agunt. Item, etsi utraque sit causa creata, ex hoc quod una declaratur inapta ad essendum coordinata, non sequitur quod sit subordinata; nam potest esse subordinans seu principalis. Si autem altera causa scilicet sit principalis, tunc causa creata, non coordinata, debet esse causa instrumentalis alterius causae.

MINOR PROBATUR: duae causae efficientes coordinatae agunt utraque ut causae principales etsi partiales. Atqui phantasma non potest esse causa principalis etsi partialis speciei. Ergo phantasma non est causa coordinata cum intellectu agente.

Major iterum constat ex statu quaestionis. Minor facile probatur: nulla res corporea potest esse causa principalis etiamsi partialis in productione speciei intelligibilis impressae. Tunc enim corporeum singulare, virtute sua propria, ageret in spirituale (intellectu possibile) et produceret spirituale est universale (determinationem spirituales et universalem speciei) Atqui phantasma est res corporeum.

Ergo.

B- Positive.

EST VERO ET PROPRIE CAUSA INSTRUMENTALIS QUOD IMPLET OMNES CONDITIONES CAUSAE INSTRUMENTALIS, et haec sunt: 1° EX PARTE CONSTITUTIVI FORMALIS; quod elevetur et proportionetur effectui superiori producendo per virtutem communicatam quae est praemotio physica elevans ex agente superiori accepta et in se transeunter i.e. ad

modum motus aut entis vialis recepta. 2° EX PARTE CONDITIONIS
REQUISITAE: quod virtute sua propria, causa instrumentalis operetur
dispositive ad actionem principalis agentis.

3° EX PARTE EFFECTUS PRODUC-
TI quod reluceat in eo duplex formalitas quarum altera ex virtute pro-
pria instrumenti proveniat, altera ex virtute non propria i.e. instru-
mentaria.

ATQUI PHANTASMA CUM INTELLECTU AGENTE OPERANS AD PRODUC-
TIONEM SPECIE INTELLIGIBILIS IMPRESSAE, IMPLET OMNES HAS CONDITIONES.

ERGO PHANTASMA EST VERE ET PROPRIE CAUSA INSTRUMENTALIS
QUAE SUBORDINATUR INTELLECTUI AGENTI, UT CAUSAE PRINCIPALI QUAM MI-
NISTRAT, AD PRODUCENDAM SPECIEM INTELLIGIBILEM IMPRESSAM.

MAJORIS prima pars per se patet, secunda pars patet
ex statu quaestionis.

MINOR PROBATUR PER PARTES.

1°- Prima Pars minoris, scilicet EX PARTE CONSTITUTIVI FORMALIS phan-
tasma implet conditiones causae instrumentalis.

Hoc iterum demonstrabitur NEGATIVE, ostendendo phantasma
non posse constitui instrumentum formaliter 1° per assistentiam extrin-
secam (contra Cajetanum), neque 2° per elevationem radicalem (contra
Ferrariensem); et POSITIVE, probando quod phantasma potest constitui
in ratione instrumenti per praemotionem physicam elevantem transeun-
ter communicatam.

a- Negative.

(1)- REJICITUR SENTENTIA CAJETANI.

1- Haec assistentia extrinseca qua, juxta Cajetanum,
phantasma fit potens speciem producere simul cum intellectu agente,
consistit in hoc quod per lumen intellectus agentis illustratur phan-
tasma ita ut apparet in eo quidditas tantum et non singularitas ei
conjuncta.

Atqui per "apparere in phantasmate naturam aut quidditatem et non ejus singularitatem" non potest intelligi nisi aut ipsum phantasma repraesentare naturam absque singularitate, aut ipsum phantasma habere in se naturam apparentem et cognoscibilem sine singularitate scilicet in actu intelligibilem. Sed ex duobus nullum dici potest.

Ergo haec assistentia extrinseca quam fingit Cajetanus non potest constituere phantasma in ratione instrumenti inservientis intellectui agentis in producenda specie.

Probatur quod neque primus, neque secundus modus intelligendi per "apparere in phantasmate naturam et non ejus singularitatem" dici potest. Contra primum enim, habetur quod etsi illustratum, phantasma tamen semper est in organo corporali, ac proinde materialiter et individualiter tantum potest repraesentare naturam. Contra secundum quod natura non est in phantasmate nisi cum conditionibus singularibus ac proinde in potentia tantum intelligibilis, intelligibilis enim in actu non fit nisi in ipsa specie impressa. Tandem contra utrumque simul, habetur quod licet in colorato posset apparere corporaliter unum nempe colorem, tamen in phantasmate quod est corporeum non potest apparere, spiritualiter ac intelligibiliter, unum, nempe naturam sine singularitate.

2- Ad refellendam Cajetani sententiam, Joannes a S^{to} Thoma in Phil. Nat. III, q. 10, art 2., sic procedit. "Vel illa extrinseca assistentia habet aliquam actionem ad hoc ut appareat objectum intelligibile, vel nullam. Si nullam, ergo non datur ille novus effectus apparendi objectum intelligibile." Si habet actionem, habet etiam terminum, "et iste vel est in ipso phantasmate, et hoc non admittit Cajetanus, qui non ponit intrinsecam mutationem in ipso phantasmate, vel in intellectu possibili, et hoc solum est

species impressa, ad cujus productionem praecise quaeritur quomodo concurrat phantasma vel "in aliquo juxta ipsum phantasma sicut lumen aere diffunditur usque ad colorem, et illi manet contiguum; et hoc esse non potest, cum illa virtus derivata ab intellectu agente sit spiritualis, et non possit per rem corpoream magis diffundi, quam in ipso phantasmate immediate subjectari quod etiam corporeum est". " Et ideo non potest admitti sententia Cajetani de Apparentia objectiva in phantasmate ad quam non requireretur mutatio intrinseca, sed solum extrinseca assistentia.

(2) - REJICITUR SENTENTIA FERRARIENSIS.

Refelletur sententia Ferrariensis de elevatione (aut illuminatione) radicali phantasmatis, 1° tamquam non sufficiens ad reddendum phantasma potens producere species, ostendendo tunc quod non facit, tunc quod facit haec illustratio; 2° tamquam non secundum mentem S. Thomae in loco (Ia.q.85, al ad 4.) in quo innititur dicta sententia.

1° Tribuere phantasmati elevationem quae solum proveniat ex radicatione phantasiae in eadem anima in qua radicatur intellectus agens, minime sufficit ad explicandum quomodo phantasma fit aptum ad instrumentaliter concurrendum cum intellectu agente ad producendum speciem.

Atqui sententia Ferrariensis nihil amplius ponit quam haec radicalis elevatio.

Ergo rejicienda sit ut insufficiens.

Minor constat ex verbis supra citatis quibus Ferrariensis suam opinionem exponit. Major sic probatur: a) si phantasmata dicuntur illuminari solum in quantum procedunt ex phantasia quae tamquam a principio fluit ab essentia animae in qua radicatur intellectus agens, ut expresse ponit Ferrerensis (II, C.Gent.c.7, NoIII.3),

apparet
 non necessitas intellectus agentis ad elevandum phantansiam (et phan-
 tasmata), nam sufficeret radicatio phantasiae in anima spirituali -
 sive haec habeat intellectum agentem aut non habeat - cum elevatio il-
 la sit tantum "ratione animae". b) habilitas vel elevatio qua gaudet
 phantasia ex conjunctione ad animam spirituales non magis reddit phan-
~~tasia ex conjunctione ad animam spirituales non~~
 tasma proportionatum speciei immateriali, cum intra limites rei cor-
 poreae illud relinquat." Ex illa radice, phantasia et actus ejus non
 accipiunt aliquam immaterialitatem, vel virtutem excedentem rationem
 corporeitatis et materialitatis, quo maneant magis proportionata rei
 spirituali, qualis est species intelligibilis, faciendae: ergo quan-
 tumcumque ponatur (phantasma) habilis (habile) radicaliter, si ex ista
 radice non habet in se aliquid spiritualitatis, semper restat eadem
 difficultas, quomodo possit actualiter influere in rem spirituales."
 (J. a Ste Toma III, Phil, Nat, q.10 art3).

c) Ex eo quod phantasia radicetur
 in anima spirituali, sequitur quidem quod sit aliquomodo virtuosior aut
 magis habilis quam phantasia brutorum. Hoc etiam admittit S. Thomas
 qui dicit quod sensus interni habent quandam eminentiam in homine, per
 aliquam affinitatem et propinquitatem ad rationem universalem, secun-
 dum quandam refluentiam" (I q.78, a.4. ad 5 et in corp.) Inde venit
 quod phantasia in homine possit coadunare et simplicare suas imagines
 secundum leges similitudinis et oppositionis . Ac proinde etiam venit
 exinde, quod phantasmata habent quandam connaturalem subordinationem
 ad intellectum agentem, unde possint per motionem ab illo elevari et
 proportionari ad species intelligibiles producendas. Sed numquam ha-
 betur ex sola illa conjunctione ad intellectum in eadem anima quod
 phantasma "fiat habile ad causandum speciem intelligibilem in intel-
 lectu " (Ferrariensis l.c.No, III, 2)

2^o Denique circa mentem Divi Thomae de hac re in Ia. q. 85 art 1, ad 4- manifestum est quod minime statuit elevationem phantasmatis solum venire ex conjunctione phantasiae ad intellectum agentem, sed quod ipsa "phantasmata (non dicit "phantasia") ex virtute (non dicit "ex conjunctione") intellectus agentis redduntur habilia." Et quando dicit quod "sicut pars sensitiva ex conjunctione ad intellectivam efficitur virtuosior, ita phantasmata....etc.". ut immediate supra, non vult significare quod praecise eodem modo quo pars sensitiva fit virtuosa, sic phantasmata fiunt habilia, sed vult demonstrare, ut per exemplum, quod si ex sola conjunctione ad intellectivam, pars sensitiva fit virtuosa, a fortiori phantasmata (quae jam sunt perfectiora quam in brutis) per virtutem intellectus agentis redduntur ~~intellectus agentis~~ habilia.

Quaenam sit autem haec virtus intellectus agentis, videbitur infra quod sit motio virtuosa quae intellectus agens transeunter elevat et facit phantasma proxime aptum ad producendum, effectum se nobiliorem.

b-
b- Positive.

(i.e. PHANTASMATA ELEVATUR ET PROPORTIONATUR EFFECTUI SUPERIORI (SPECIES INTELLIGIBILIS IMPRESSA) PRODUCENDO PER VIRTUTEM COMMUNICATAM QUAE EST PRAEMOTIO PHYSICA ELEVANS EX AGENTE SUPERIORI (INTELLECTUS AGENS) ACCEPTA ET IN SE TRANSEUNTER 1^o AD MODUM MOTUS AUT ENTIS VIALIS RECEPTA).

Phantasmata certe elevatur et proportionatur speciei impressae producendae per praemotionem physicam elevantem ex intellectu agente acceptam et in se (seu intrinsece) transeunter receptam si potest recipere in se ex intellectu agente talem praemotionem aut

entitatem seu virtutem.

Atqui phantasma potest recipere in se ex intellectu agente praemotionem physicam elevantem et transeunter communicatam, seu entitatem aut virtutem instrumentariam,

Ergo phantasma elevatur et proportionatur effectui superiori ... etc ut supra; i.e. ex parte constitutivi formalis phantasma implet conditiones causae instrumentalis.

Ad maiorem.

Ut phantasma certe elevatur et proportionetur speciei intelligibili, praemotio physica aut virtus quam accipit ex intellectu agente debet esse spiritualis et intrinsece recepta ad modum motus aut entis vialis.

Atqui praemotio physica elevans seu virtus participata ex intellectu agente est spiritualis, et in phantasmate intrinsece recipitur ad modum motus seu entis vialis. Ergo.

Major facile constat, nam 1° cum phantasma reapse producit speciem, (ad quam natura sua non ordinatur), debet saltem prioritatem naturae, intrinsece constitui potens eam attingere. Ergo ut phantasma elevatur et proportionetur speciei debet INTRINSECE recipere praemotionem seu virtutem de qua agitur. 2° species est spiritualis. Ergo principium quo phantasma constituitur intrinsece potens eam producere, debet esse SPIRITUALE --secus deesset proportio inter effectum et causam. 3° ut phantasma non constituatur causa principalis, principium spirituale quo constituitur intrinsece potens producere speciem, non potest recipi ad modum permanentis aut virtutis completae--secus enim fieret virtus propria phantasmate AD MODUM MOTUS, aut entis vialis ad modum virtutis incompletae.

Minor etiam facile constat nam 1° intellectus agens spiritalis est. Ergo virtus ab eo defluens est SPIRITUALIS. 2° praemotio omnis intrinsece recipitur. Ergo cum virtus illa ab intellectu agente in phantasmate defluens sit praemotio, certe INTRINSECE recipitur. Spiritualitas hujus virtutis minime obstat ad ejus receptionem in phantasmate corporeo, ut paulo inferius videbitur. 3° est essentielle praemotioni physicae elevanti quod detur transeunter seu per modum motus. Ergo ac in phantasmate virtus ex intellectu agente datur PER MODUM MOTUS, aut entis vitalis.

Ad minorem.

Phantasma potest recipere in se ex intellectu agente praemotionem physicam elevantem et transeunter communicatam seu entitatem aut virtutem instrumentariam, si nulla datur repugnantia tum ex parte intellectus agentis, tum ex parte ipsius phantasmatis.

Atqui nulla datur repugnantia.

Ergo.

Major per se patet.

Minor probatur.

PRIMO: EX PARTE INTELLECTUS AGENTIS,
hujus

Difficultas ~~hujus~~ ex parte venit ex hoc quod licet sit semper in actu primo (est enim potentia activa), intellectus agens non est semper actu operans. Atqui, ut communicet aut transmittat phantasmati virtutem instrumentariam, DEBET ESSE ACTU OPERANS. Praemotio enim aut virtus instrumentaria potest dici participatio non tantum potentiae sed etiam ipsius actionis causae superioris, ut visum est in statu quaestionis.. Ergo intellectus agens debet transire de potentia ad actum operationis scilicet de actu primo ad actum secundum. Sed hoc fieri non potest sub influxu phantasmatis.

Phantasma enim, etsi praesens, nequit agere in intellectum agentem, secus corpus, virtute sua propria, ageret in spiritum.

Quomodo igitur intellectus agens reducitur in actum (secundum) ? Respondetur cum P. Gredt (El.Phil. N° 579); aut a voluntate humana, aut immediate a solo Deo. Voluntas enim imperio suo agit in phantasiam ad phantasmata formanda et rite ordinanda ut sint bene disposita ad recipiendum influxum intellectus agentis, et eodem actu applicat etiam intellectum agentem phantasmatis ita formati et ordinati. Hoc experitur cum voluntarie abstrahimus ideas et voluntarie utimur ideis jam acquisitis. Cum autem nobis non volentibus incidit aliqua cogitatio, et item in primo actu cum incipit vita nostra intellectiva et volitiva, sive cum omnino primo incipit (cum evigilat usus rationis) sive cum incipit post interruptionem (puta post somnum), ipse Deus immediate in actum reducit intellectum agentem. Dicitur "immediate", quia etiam cum intellectus agens reducitur in actum a voluntate (humana) ipse Deus illud movet, sed mediate voluntatis.

SECUNDO: EX PARTE PHANTASMATIS.

Solum quod objici potest ex parte phantasmatis est ob ejus materialitatem et corporeitatem: QUOMODO ERGO POTESTNE RECIPERE VIRTUTEM SPIRITUALEM qualis est entitas instrumentaria ab intellectu agente derivata? Sed oppositio est apparens tantum, non quippe realis. Non enim repugnat recipi et inhaerere imperfecte et transeunter in subjecto corporeo, virtus spiritalis incompleta quae habet esse fluens per modum motus; immo hoc fit connaturale si illud subjectum corporeum ita subjicitur spiritali agenti ut dicat potentiam oboedientialem respectu illius in ordine ad actum spiritalis.

Atqui virtus spiritualis qua phantasma fit potens attingere speciem est virtus incompleta habens esse fluens per modum motus; et phantasma ita subicitur intellectui agenti ut dicit potentiam oboedientialem respectu illius in ordine ad intellectionem, remote, et proxime, in ordine ad formandum id quo fit intellectio, nempe speciem intelligibilem impressam.

Ergo non solum virtus instrumentaria spiritualis non repugnat inhaere (imperfecte et ad modum motus) in phantasmate, sed hoc est etiam connaturale ad compositum humanum.

MAJOR PATET ex statu quaestionis, ET CONFIRMATUR per exemplum. Sicut enim in substantiis spiritualibus, forma completa et perfecta, sicut Angelus, repugnat informare corpus, non autem forma imperfecta et incompleta, qualis est anima humana, quae etsi sit spiritualis, dicit tamen habitudinem ad corpus et illud informat; ita, in formis accidentalibus, virtutes spirituales perfectae et completae, sicut intellectus aut voluntas humana, nullatenus possunt inhaerere in corpore, virtutes autem incompletae et per modum motionis, qualis sunt entitates aut virtutes instrumentariae, quae solum ordinantur ad subordinandum aliquod corpus spiritui in ordine ad aliquem effectum spiritualem, non repugnabit, dicet sint spirituales, recipere et inhaerere (transeunter) in corporeo. Ita enim non fiunt corporis, ut corpus est, sed ut oboedit spiritui et movetur ab eo.

MINOR PROBATUR.

(a)- quoad primam partem.

Virtus enim spiritualis qua phantasma fit potens attingere speciem est virtus instrumentaria.

Atqui virtus instrumentaria omnis est virtus incompleta habens esse fluens per modum motus. Patet ex statu quaestionis.

Ergo recte dicitur virtutem spirituales qua phantasma fit potens attingere speciem esse virtutem incompletam habentem esse fluens ad modum motus. Etenim virtus illa non communicatur ab intellectu agente phantasmati, ut ipsum reddetur in se spirituale, sed ut solum moveatur ad producendam rem spirituales.

(b)- Quoad secundam partem.

Pars sensitiva in homine naturaliter subicitur parti intellectivae ita ut ordinetur ad illam perficiendam.

Atqui perfectio partis intellectivae ut intellectivae est ipsa intellectio aut intellectualis cognitio.

Ergo pars sensitiva subicitur intellectui in ordine ad intellectionem.

Atqui phantasma est sicut apex totius vitae sensitivae, et intellectio coepit, causaliter, per formationem speciei.

Ergo propter hanc subjectionem datur in phantasmate quamdam potentiam oboedientialem respectu partis intellectivae et speciatim respectu intellectus agentis, in ordine ad intellectionem remote, et proxime in ordine ad formandum id quo fit intellectio nempe speciem intelligibilem impressam.

Utraque Minor est evidens, et secunda praeterea patet ex introductione generali. Major patet ex ipsa unione animae cum corpore, ~~id/est~~ nam haec unio debet redundare in bonum animae, secus ipsa naturae institutio esset vitiosa, inferius enim est propter superius, corpus propter animam. Atqui non potest redundare in bonum animae spiritualis nisi praestet parti sensitivae specialem subjectionem in ordine ad perficiendam animam secundum quod competit ei ut spirituali, scilicet ad perficiendam animam ut intellectivam. Ergo;..

Ad rem J. a S.Thoma : "Unio spiritus ad corpus naturaliter ordinatur ad perficiendum ipsum intellectum, alias non peteret naturaliter anima nostra talem unionem, si ex illa non posset perfici in cognoscendo, ergo oportet subordinari id quod sensitivum et corporeum est, spirituali virtuti ad formam - dum id quod pertinet ad perfectionem intellectus quod utique non est aliud quam species". (III PHIL. Nat. q. 10, arg.2).

CONCLUSIO igitur nempe, "non solum virtus instrumentaria spiritualis non repugnat inhaerere (imperfecte et ad modum motus) in phantasmate, sed hoc est etiam connaturale ad compositum humanum," videtur esse recte. Immo Joannes a Sto Thoma etiam dicit hoc esse necessarium, hoc sensu quod, cum corpus naturaliter subordinatur spiritui et ab eo movetur, necessarium est quod corpus recipiat a spiritu aliquem influxum aut virtutem (spiritualem consequenter), secus non posset moveri et regi ab eo. Ideo cum phantasma naturaliter subordinatur et subijcitur intellectui in ordine ad intellectionem, necessarium est quod recipiat ab intellectu agente virtutem qua moveatur et regatur ad speciem producendam. - "Operatio phantasmatis ad producendam speciem intelligibilem, debet esse ex virtute per modum motionis ab intellectu agente.... Et talis virtus spiritualis, quae datur per modum motionis, seu per modum transeuntis non repugnat subjectari et inhaerere in re corporea quatenus corpus est obediens spiritui, et subordinatum ipsi; hoc enim NECESSARIUM fuit, ut possent communicari spiritualia corporalibus, naturaliter enim corpora reguntur per spiritum, et ei subordinantur, et ab eo moventur." (J. a Sto Th. lec.)

2°- Secunda Pars Minoris: scilicet, EX PARTE CONDITIONIS REQUISITAE phantasma implet conditiones verae causae instrumentalis, i.e. PHANTASMA SUA VIRTUTE PROPRIA OPERATUR DISPOSITIVE AD ACTIONEM INTELLECTUS AGENTIS.

Ut causa instrumentalis, virtute sua propria, operetur dispositive ad actionem principalis agentis, non requiritur quod agat dispositionem in subjecto aut materia circa quam operatur principale agens aut ex qua illud educit suum effectum, sed sufficit quod virtute et actione sua propria tantum modificet actionem principalis agentis, scilicet virtutem et actionem instrumentariam; aliis verbis, ut salvetur agere "dispositive ad actionem principalis agentis" non requiritur actio dispositiva ex parte rei operatae sed sufficit tantum illa ex parte modi operandi.

Atqui virtute sua propria, phantasma modificat actionem intellectus agentis, vel aliis verbis, agit dispositive ad actionem intellectus agentis ex parte modi operandi.

Ergo phantasma virtute sua propria operatur dispositive ad actionem intellectus agentis, i.e. ex parte conditionis requisitae phantasma implet conditiones verae causae instrumentalis.

MAJOR PATET ex Statu Quaestionis.

MINOR PROBATUR.

Praenota. :- vix necessarium est ostendere phantasma virtute sua propria non posse agere dispositive ad actionem intellectus agentis in materia circa quam hic operatur aut ex qua educit suum effectum i.e. speciem impressam. Et enim materia illa est ipse intellectus possibilis, facultas spiritualis. Ergo omnibus patet phantasma corporeum virtute propria, quae jam est corporea, non posse agere in illam. Unde solummodo et directe probatur phantasma agere dis-

positive ad actionem intellectus agentis IN QUANTUM MODIFICAT HANC IPSAM ACTIONEM.

Probatur.: vere modificat actionem intellectus agentis phantasma quod propria virtute praebet materiam determinatam qua modificari et determinari potest virtus instrumentaria.

Atqui phantasma virtute propria praebet materiam aut potentiam determinatam qua modificari et determinari potest virtus instrumentaria sibi communicata.

Ergo.

Major constat ex Statu Quaestionis, in quantum in omni causa instrumentali, modificatio virtutis instrumentariae fit quatenus influxus principalis agentis receptus in instrumento per praemotionem, determinatur per virtutem propriam instrumenti ita ut unicum resultet principium agendi, nempe virtus instrumentaria determinata.

Minor probatur. Phantasma enim, virtute propria non modificare et determinare potest actionem intellectus agentis per modum causae efficientis. Tunc enim phantasma corporeum ageret iterum propria virtute in spiritum, quod repugnat. Nihil vero obstat quod ad modum causae materialis phantasma modifcet actionem intellectus agentis. Oportet tamen notare quod ly "ad modum causae materialis" non intelligendum sit quatenus ex sola praesentia phantasmatis intellectus agens determinaretur ad producendum se solo speciem impressam, tunc enim phantasma nullomodo esset causa efficiens instrumentalis; sed in hoc sensu quod phantasma, agendo virtute sua propria, praebet intellectui agenti materiam seu potentiam determinatam qua modificatur et determinatur influxus causalis efficiens intellectus agentis transeunter in phantasmate receptus, sci-

virtus instrumentaria, qua intrinsece elevatur phantasma et constituitur instrumentum intellectus agentis.

Influxus enim intellectus agentis in diversa phantasmata ex se idem est. Sed phantasma secundum quod aliud est, aut aliud repraesentat, alio vel alio modo determinat influxum intellectus agentis, ac proinde alio vel alio modo determinatur virtus instrumentaria. Exemplum - sensile et maxime imperfectum - dari potest in luce radiographici apparatus quae aequaliter illuminat omnia corpora successive sub-pesita, et tamen determinatur ad aliam vel aliam imaginem projiciendum in tabulam secundum quod recipitur trans aliud vel aliud corpus. Similiter, actio intellectus agentis, in phantasmate recepta, seu virtus instrumentaria determinatur secundum quod phantasma aliud vel aliud naturaliter et sensibiter repraesentat. Atqui haec repraesentatio sensibilis habetur secundum ipsam virtutem propriam phantasmatis. Ergo virtute sua propria phantasma vere praebet materiam determinatam qua modificari et determinari potest virtus instrumentaria - quod esset demonstrandum.

CONCLUSIO igitur argumenti recte asserit conditiones causae instrumentalis ex parte virtutis et actionis propriae reapse verificari in phantasmate. Etenim sicut omne instrumentum, phantasma "non perficit actionem instrumentalem, nisi exercendo actionem propriam" (S.Th. III, q.62, a.1 ad 2). Actio propria phantasmatis, quam exercet virtute propria, est repraesentare sensibiliter rem materiale extra-mentalem; actio vero instrumentaria, quam exercet virtute transeunter secum communicata, est producere speciem. Exercendo actionem propriam, virtute propria, exercet actionem instrumentariam virtute communicata: virtute propria sensibiliter repraesentando, producit inquantum praemovetur ab intellectu agente speciem

impressam, seu intellectualem repraesentationem (i.e. secundum quidditatem universalem) rei materialis cujus phantasma est repraesentatio sensibilis (i.e. secundum notas individuales et concretas). Caveas ergo ne imagines hanc duplicem actionem phantasmatis esse entitative distinctam. Unica exit actio a phantasmate sub motione intellectus agentis: actio elevata et determinativa propter phantasma-te, proportionata et determinata pro intellectu agente; actio unica, duplici formalitate tamen praedita: altera, nempe sua determinatio, virtute propria phantasmatis datur; altera, nempe sua spiritualitas, datur virtute instrumentaria seu virtute intellectus agentis.

Annotationes:- Licet phantasma statuitur esse vere et proprie causam instrumentalem sicut quodcumque aliud instrumentum, tamen concedimus illud esse quodammodo "SUI GENERIS". Differt enim ab instrumentis artificialibus et a caeteris naturalibus in quantum non agit dispositive in materiam circa quam operatur principale agens, sed dispositive tantum ad actionem, eam modificando. Differt etiam a Sacramentis quae licet nihil operantur in materia circa quam operatur gratia, tamen agunt dispositive in alio subjecto nempe corpore, sicut in baptismo, aqua abluit corpus et per hanc propriam actionem infundit gratiam, ex virtute divina, in animam. Phantasma autem nullam omnino agit dispositionem in quodcumque subjectum. Tamen virtute propria vere agit, in quantum operatur repraesentativo aut intentionali modo. Quare J. a Sto Thoma dicit illud esse instrumentum non effectivum, sed objectivum, in quantum operatio qua producit speciem "non est effectiva per modum physicae alterationis, sed per modum intentionalis, et objectivae actionis, seu repraesentationis" (III, Phil. Nat. Q.10, art.2 inf.), vel etiam quatenus praebet in-

tellektui agentis "materiam objectivam", scil. talis objecti repraesentativam, qua determinetur actio intellectus agentis ita ut efficiatur species determinata. Quod expressit Divus Thomas, dicens:-

" Quia phantasma non sufficiunt immutare intellectum possibilem, sed oportet quod fiant intelligibilia actu per intellectum agentem, non potest dici quod sensibilis cognitio sit totalis et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est materia causae" (S.Th. Ia, q.84, a.6).

Quamobrem concedimus Suarezio phantasma esse materiam intellectus agentis, sed remotam et non proximam. Intellectus agens enim producit in phantasmate tamquam in materia remota entitatem vialem instrumentariam, ope cujus producit in intellectu possibili tamquam in materia proxima speciem impressam. Ac proinde phantasma non est tantummodo causa materialis, et remote etiam, sed est praecipua causa efficiens instrumentalis.

3°- Tertia Pars Minoris: scilicet, EX PARTE EFFECTUS PRODUCTI, phantasma implet conditiones verae causae instrumentalis, i.e. IN EFFECTU PRODUCTO A PHANTASMATE CUM INTELLECTU AGENTE OPERANTE, RELUCET DUPLEX FORMALITAS QUARUM ALTERA EX VIRTUTE PROPRIA PHANTASMATIS PROVENIT, ALTERA EX VIRTUTE NON PROPRIA SEU INSTRUMENTARIA i.e. AB INTELLECTU AGENTE.

In specie intelligibili impressa quae est effectus phantasmatis operantis cum intellectu agente, distingui potest species ut species, i.e. ut entitas spiritualis actuans intellectum possibilem, et species ut talis species i.e. ut vices gerens talis objecti seu quidditatis.

Atqui ratio speciei ut species et ratio speciei ut talis species duplicem formalitatem constituunt quarum altera ex virtute

propria phantasmatis, altera ex virtute non propria sed mutuata ab intellectu agente i.e. ex virtute instrumentaria provenit.

Ergo in effectu producto a phantasmate cum intellectu agente operante relucet duplex formalitas quarum altera...etc, ut supra; i.e. ex parte effectus producti phantasma implet conditiones verae causae instrumentalis.

MAJOR patet, nam evidens est dari non posse speciem quae non sit simul talem speciem, seu speciem determinatam. Distingui autem potest, ratione, non entitative, species ut species et species ut talis species. Nulla difficultas.

MINOR facile constat; et sequitur ex dictis superius de duplici formalitate quae inest in actione entitative unica phantasmatis instrumentaliter producentis speciem. Etenim: 1°-species ut species est species ut intelligibilis, seu spiritualis, ratione subjecti immaterialis in quo inest. Nam species informat intellectum possibilem. Atqui intelligibilitas seu spiritualitas speciei ex nullo alio venire potest nisi ex virtute instrumentaria phantasmatis, scilicet ex virtute communicata ab intellectu agente. facultate immateriali; virtus enim propria phantasmatis utpote corporea non potest dare speciei ejus spiritualitatem. 2°- species ut talis species determinata, est species ut repraesentans talem objectum seu quidditatem. Atqui haec taleitas seu ultima specifica determinatio speciei non potest provenire nisi ex virtute propria phantasmatis: phantasma enim sensiliter repraesentat ipsam rem cujus quidditatis species intelligibilis vicem gerit; actio autem intellectus agentis, et consequenter ipsa virtus instrumentaria, est ex se indeterminata, ac proinde nihil valet ad praebendam speciei suam specificam determinationem. Ergo formalitas speciei ut species, et formalitas speciei ut talis species quae in eadem specie distinguuntur, pro-

veniunt altera, ex virtute propria phantasmatis, altera ex virtute non propria, sed mutuata ab intellectu agente, i.e. ex virtute instrumentaria. - "Sicut virtus artificis, ait J.a S.TH. determinatur a securi ad producendum incisionem acutam, et rursum instrumentum dirigitur ab arte, ut incisio fiat recta vel orbicularis; ita virtus intellectus agentis determinatur a phantasmate ut talis objecti seu quidditatis speciem eliciat, et rursus phantasma ex illa motione et elevatione intellectus agentis producit speciem repraesentantem modo immateriali et sine conditionibus materiae illam quidditatem". (Phil. Nat. III, Q.10 art.2). Cf. praeterea optima verba S.Thomae in X de Verit. a 6 ad 7, et etiam in Ia, q.85,a.1 ad 3, quae verba notavimus in fine capitis de opinionibus.

III Deducitur corollarium.

Unicum est munus intellectus agentis et est producere, mediante phantasmate ut instrumento, speciem impressam in intellectu possibili. Omnia alia munia quae solent ei attribui vel non sunt nisi diversa nomina ejusdem istius affectionis speciei; vel sunt ista eadem effectio in suis diversis phasibus considerata; vel adimplentur non immediate a seipso, sed mediate speciei quam producit.

Inter diversa nomina quibus communiter utantur ad significandum actionem intellectus agentis producentis speciem, alia respiciunt istam actionem secundum effectum quem habet super ipsam objectum in specie repraesentatam proprium intellectus possibilis et sic intellectus agens dicitur "reddere quidditatem rei in actu intelligibilem", "abstrahere quidditatem a singularitate rei, aut phantasmatis", vel simpliciter "facere intelligibilia actu"; alia habent respectum ad ipsum intellectum possibilem in quantum in eo recipitur, vel ex eo educitur tamquam a materia proxima, species impressa, et sic in-

telleetus agens dicitur "imprimere speciem in intellectu possibili", "educere speciem ex eo" et etiam "abstrahere speciem a phantasmatibus", intelligendo hoc ultimum ~~quatenus~~ intellectus agens educit ex phantasmatibus tamquam ex materia remota entitatem instrumentariam qua phantasma fit potens concurrere instrumentaliter ad productionem speciei. Quod haec omnia non sint distinctae actiones, sed tantum diversa nomina ejusdem actionis, satis apparet ex dictis in thesi ut non hic oporteat super hoc immorari.

Quia actio intellectus agentis producentis speciem, duplicem habet effectum inadaequatum, nempe elevationem seu praemotionem ^{+phantasmatis, et mediante} phantasmato sic elevato, productionem speciei, intellectus agens saepe dicitur "illuminare phantasmata" seu "reddere illa habilia"; quod quidem fit, ut patet, unica eademque actione qua intellectus agens producit speciem, "sicut agens principale unica actione respicit instrumentum ut ministrans et motum a se, et terminum ut productum et finem ad quem talis terminus ordinatur". (J. a S. Th. Phil. Nat. III, c.10, art.2).

Intellectui agenti attribuitur "reductio intellectus possibilis in plenum actum primum" (i.e. completio actus primi) et etiam "in actum secundum". Sed hoc fit mediante specie quam producit. Nam species 1° entitative informat, sic reducendo intellectum in actu primo remoto, et 2° cognoscitive informat, et sic, reducendo intellectum in actu primo proximo quem naturaliter sequitur actus secundus seu ipsa actio quo intellectus fit suum objectum i.e. intellectio. Praeterea intellectus agens dicitur "confortare intellectum possibilem", et "inducere evidentiam primorum principiorum." +

+Utrumque etiam habentur mediantibus speciebus, et non immediate ab ipso intellectu agente. Quoad primum, "omnis potentia, ait S.Thomas, confortatur et perficitur ex conjunctione ad actum

suum." (IX, de Verit.a.1). Atqui intellectus possibilis non conjungitur ad actum suum nisi praeviis speciebus impressis. Ergo. Quoad secundum, iterum citatur S.Thomas: "Actualem cognitionem principiorum habere non potest intellectus possibilis nisi per intellectum agentem. Cognitio enim principiorum a sensibilibus accipitur... A sensibilibus autem non possunt intelligibilia accipi nisi per abstractionem intellectus agentis". (de Anima, a.4, ad 6). Nullo ergo alio munere proprie et immediate gaudet^{in his} intellectus agens praeter productionem (mediante phantasmate) speciei.

Etiam in usu specierum jam acquisitarum et in commercio idearum ab uno ad alium hominem, in quibus intellectus agens dicitur necessarius, ille nihil aliud facit quam producere speciem. Satis facile constet pro commercio idearum nostrarum. Nam istae alicui communicantur ope sermonis, sive gesticulati, sive articulati, sive scripti, i.e. ope signorum sensibilibus. Sed illi non possunt apprehendi nisi per sensus externos, et per sensum communem, et ex illis per phantasiam (late dictam), mediantibus phantasmatibus cuius intellectus agens producit in intellectu possibili species impressas, quarum vocabula (dicta, aut scripta) et gesta erant signa. Unde intellectus agens eodem modo hic agit ac in acquisitione specierum ex rebus materialibus. Audiatur ipse Angelicus:— " Proponit doctor (i.e. ille qui docet) rerum intelligibilium signa, ex quibus intellectus agens accipit intentiones intelligibiles, et describit eas in intellectu possibili; unde ipsa verba doctoris audita, vel visa in scripta, hoc modo se habent ad causandam scientiam in intellectu sicut res quae sunt extra animam, quia ex utrisque intellectus intentiones intelligibiles accipit; quamvis verba doctoris propinquius se habeant ad causandam scientiam quam sensibilia extra animam existentia, inquantum sunt signa intelligibilium intentionum"

(De Verit. s. II a. 1. ad 11)

In usu autem specierum jam acquisitarum non tam facile liquescit intellectus a eodem modo operari ac in prima acquisitione, immo non esse tantummodo necessarium. Tamen est factum omnino certum quod intellectus nequit actu intelligere quin phantasia sit simul actus operans, i.e. etiam in usu specierum jam acquisitarum intellectus dependet a phantasia. Conferatur ad thesim. Sed nihil prodesset phantasmati esse praesens nisi sit illuminatum (aut praemotum). Nam ex sola virtute propriam phantasmata nullo modo posset influere in intellectum possibilem. Ergo intellectus agens debet esse etiam hic actu operans. Ista operatio non producit, ut in prima acquisitione specierum, totam entitatem speciei (species enim jam est in intellectu possibili). Tamen non inest ut cognoscitive informans seu actuans intellectui, sed tantum ut entitative intellectu, sed tantum ut entitative informans. Entitative enim informant tantum, species quae habitualmente remanent in potentia cognoscitiva (cf. Gredt. 471, 3.). Quando autem intellectus applicatur ad actuale cognitionem species coepit cognoscitive informare. Unde intellectus agens mediante phantasmate illuminato non producit quidem speciem ut entitative informantem (jam adest ut talis) sed producit eam ut cognoscitive informantem. Ac proinde ista actio intellectus agentis non differt substantialiter a productione speciei in intellectu possibili. ~~Intellectus agentis non differt substantialiter a productione speciei in prima acquisitione specierum, differt tantum accidentaliter in quantum est minus productiva.~~

Ergo recte asseritur unicum esse munus intellectus agentis, nempe producere, mediante phantasmate ut instrumento, speciem impressam in intellectu possibili.

Conrad Leblanc o.m.i.